

P V I S

1 6. 1 8

ORATIONES

- I. D. Pelargi de Libro Vita Mystica.
- II. Salomonis Frenchi de Jesu Christo Redivivo.
- III. Georgii Czusii Descriptio Holsaticæ seu Cimbricæ Arvis.
- IV. Bernhartini Bernifacii Miscellanea Hymnorum &c.
- V. Abrahami Sculteti Conciò Secularis.
- VI. M. Caspari Bucheri Actus Oratorius.
- VII. Actus Inauguralis introductis in Gymnasium Gothicæ Rectoris.
- VIII. M. Thomæ Sagittarii Orationes Duæ.
- IX. M. Laubani Oratio de Disciplina Scholastica.
- X. M. Bucheri Oratio de Sapientia Patris Dno.
- XI. Francisci Schwabii Oratio de Ebrietate et Temperantia.
- XII. Justi Lippii Oratio de Obitu Johannis Wilhelmi Ducis Saxonie.
- XIII. M. Izajmi Schmidt Oratio memoriae Laubmani habita.
- XIV. M. Benedicti Anthoni Oratio Exequialis manib. Johannis Bernhartini.
- XV. Programma in funere Pauli Rüdigeri propositum.
- XVI. Programma sub funus Francisci Parovii propositum.
- XVII. Programma de Doctoratu Quatuor Theologorum.
- XVIII. Syllabus Lectionum Gymnasii in valle Joachimica.
- XIX. Analeptis Lectionum Gymnasii in valle Joachimica.
- XX. Henrici Kitzschii Specimen Oratorium.
- XXI. Henrici Kitzschii Discursus Gemalis.
- XXII. Henrici Kitzschii Centuria Symbolon Chronologicarum.
- XXIII. De Stella Pergrina.
- XXIV. M. Bernharti & Parelii

EX LIBRIS  
 ILLVSTRISSIMI VIRI,  
 DN. DAN. LVDOLPHI,  
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
 STATUS INTIMI, cetera,  
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
 TESTAMENTO RELICTIS.

DA 1

Bl 1625

3



MISCELLANEA  
**H Y M N O R V M,**  
 EPIGRAMMATVM, ET  
 PARADOXORVM QVORVN-  
 DAM, D. IOHANNIS BERN-  
 HARDINI BONIFACII  
 Neapolitani.

*Quibus præter dedicationem præmissa est brevis  
 de ejusdem vita & morte narratio.*



*Alfonsus de  
 Monte Reale  
 Capis p. hon.*

D A N T I S C I,  
 Imprimebat Iacobus Rhodus.

ANNO. M. D. XCIX.



AETATIS SVAE • XXXII •  
ANNO • MDXLVIII •



IOANNES BERNARDINVS  
BONIFACIVS ORIAE MARCHIO •

# MAGNIFICIS

ET AMPLISSIMIS DOMINIS,

DOMINIS REGIÆ CIVITATIS

Dantisci cons. & senatoribus, patro-

nis debita animi observantia colendis,

M. Andreas VVelsius in Christo

Domino, officiosam &

P. S. D.



Reliquit, Magnifici & Amplissi-  
mi viri, D. Iohannes Bernhar-  
dinus Bonifacius, cuius anima  
est in benedictione, præclara in-  
genij sui documenta, inter quæ  
ejus hymni, epigrammata, & paradoxa ne-  
quaquam postremo loco ponenda & censen-  
da videntur. Cùm enim lectissima quæque  
contineant, & verè utile dulci misceant, ut poë-  
ta loquitur, omne quoq; punctum & calcu-  
los bonorum, ea non injuriâ referre censeo.  
Illa igitur cùm mihi vivens eum in finem de-  
derit, ut diligenter recognoscendo cum alijs

A 2

commu-

communicarem, visum mihi fuit ista in unum  
libellum digesta publici juris facere, & M. &  
A. V. tam ipsius, quàm meo nomine inscri-  
bere. Ipsius quidem causâ ideo, ut M. & A.  
V. tum etiam alij, si non aliundè, saltem ex  
his de erudita ejus doctrina, vero zelo, ardo-  
re, & pietate, conjecturam aliquam capere  
infallibiliter possent. Neminem enim, qui-  
cunque hymnos ipsius attentè evolvere & le-  
gere dignabitur, inficias iturum statuo, illum,  
ut de multiplici ejus doctrina nihil dicam, à  
detestandis fanaticorum hominum opinionibus  
longè fuisse alienissimum. Deinde po-  
steaquam ille omnem librorū suorum ex nau-  
fragio residuorum supellectilem, haud im-  
meritò nutricationis & gratitudinis ergò M.  
& A. V. consecrârit: qua re etiam effecit, ut  
quædam non contemnenda fundamenta Bi-  
bliothecæ, salutaris animæ medicinæ, & egre-  
gij totius Reipub. & urbis ornamenti, in lau-  
datissimo

datissimo nostro Gymnasio jacta positaq; fuerint: hunc libellum velut particulam istius librariæ supellectilis ad V. M. & A. tanquam legitimos suos Dominos, postliminio, quod dicitur, remittendum duxi. Meo autem nomine de alijs fautoribus dispicere nec volui, nec debui, siquidem ipse quoq; sum in ære M. & A. V, illisq; à multis annis, dum liberalem hinc servitutem servio, & publico officio inter alios, in Schola, docentes fungor, plurimum devinctus & obstrictus. Quam igitur decet & par est observantiã rogo, ut M. & A. V. præter alios labores, quos juventuti fideliter informandæ quotidie impendo, etiam hoc meum quaecunq; studium & diligentiam, in grati animi testificationem, benignè accipiant, & me meosq; pro solita & prædicanda sua benevolentia commendatissimos sibi etiam atq; etiam habeant. Dabam in Gymnasio postridie D. Iohannis Baptistæ,

A 3, quo,

quo, secundum aliquos, ante annos quingen-  
tos & novemdecim Rodolphus Suevorum  
dux, à Gregorio Pontifice imperator electus,  
aurea etiam corona ipsi cum hac inscriptione  
missa: Petra dedit Petro, Petrus diadema  
Rodolpho: triste admodum & infelix præ-  
lium cum Henrico IV. Imperatore ad Merz-  
spurgum, commisit, in quo Rodolphus dex-  
tram amittens & lethaliter vulneratus, ali-  
quot horis post diem suum obiisse  
scribitur. Anno nati Christi ser-  
vatoris mundi, supra mille-  
simum, quingentesimum,  
nonagesimo  
nono.



ORATIO



10  
ORATIO DE VITA ET  
MORTE IOHANNIS BERN-  
HARDINI BONIFACII.



Iohannem Bernhardinum Bonifacium illustri & antiqua familia natum fuisse accepimus Neapoli, quæ urbs olim Parthenope dicta, semper totius Campaniæ caput & metropolis habita fuit: ex qua poeta Statius, Sannazarius, Iovianus Pontanus, Alexander ab Alexandro, & multi alij, tam togata quàm bellica virtute præstantissimi viri uelut ex equo Troiano prodierunt. De cuius miranda fertilitate, salubritate, ædificiorum magnificentia, antiquitate, portu & situ, quibus omnibus multas alias longo post se interuallo relinquit, hic filere quàm pauca dicere præstat. Incidit autem huius Bonifacij natiuitas, in annum illum multorum literis & linguis celebrem, videlicet mundi conditi 5479. Olympiadis 12249. Romæ fundatæ 2260, Christi verò seruatoris nostri 1517, quo D. Lutherus sanctæ memoriæ in Pontificem Romanum, eiusq; indulgentias calamum stringere cœpit: Et Selymus Turcarum Imperator Memphim, vulgò Alcaitum, regiam Ægypti occupauit, immansi sæuitia in deditios inermes contra datam fidem vsus. Dies eius natalis erat 7. Calendarum Maij, quo Romæ antiquitus solenniter celebrabatur festum Rubigalia appellatum, à Numa Pompilio in honorem cuiusdam DEI Rubigi institutum, vt rubiginem & alia mala à segetib. & quibuscunq; frugibus tum è terra prodeuntibus propulsa-  
ret &

20  
ret & auerruncaret. In cuius locum postea succe-  
runt Amburbalia, quæ nostro tempore isthuc & ali-  
bi magna cum festiuitate & solennitate peraguntur,  
Infanti in sacro baptismatis flumine duplex quasi  
prænomen inditum erat, vt cum cognomine fuerit  
Trionymus: quod ipsum aliquam familiæ nobilitatem  
arguit. Nam olim non nisi principes viri, tria, qua-  
tuorue nomina ferre solebant, velut ex historijs, quæ  
sunt temporum testes, & nunciæ veritatis, videre licet.  
Patri ipsius nomen erat Roberto Bonifacio, qui fuit  
Illustris Marchio Oriæ, & Dominus terrarum Franco-  
uillæ, & Casalis noui, tum regię vrbis Neapolis iusti-  
tarius, quam summam dignitatem, velut lampadem à  
patruo suo Draconeto traditam accepit, à quo etiam  
sine liberis decedente, multa ampla bona hæredita-  
rio iure obtinuit. Matrem eius Lucretiam Cicaram  
appellatam fuisse reperio, quæ proculdubio præter  
illustrem profapiam eximia pulchritudine, pruden-  
tissima, diligentissima & optima foemina fuit. Sci-  
tum enim est illud Poetæ:

*Non facile è squilla rosa nascitur, aut hyacinthus,  
Sed neq; ab ancilla filius ingenuus.*

Fratres illi nulli fuerunt, nec Sorores, nisi vna Isa-  
bella vocata, quæ ipsi ex certa dotalitij sponsione titu-  
lum Marchionatus, Oriam & terras Francouillæ &  
Casalis noui cefsit: qua cum etiam admodum fraternè  
vixit, excepto tamen postea religionis negocio, vt raro  
vllas similtates cum ea exercuerit, vel vnquam in gra-  
tiam redire necesse habuerit.

Silentio

3.

Silentio hic præteribo Andream Bonifacium avum illius, quem apud Alphonsum & Ferdinandum Siciliae reges potentissimos, maxima semper gratia ob virtutem & fidem singularem tam pacis quam difficilimi belli tempore præstitam valuisse, diplomata quædam, velut testes omni exceptione majores, luculenter comprobant. Nec laudes Draconeti, patris ipsius maioris pluribus exponam, cuius Alexander ab Alexandro honorificam mentionem facit, nominans eum lib. 3 cap. 8. patritiæ gentis Neapolitanæ & inclytæ familiæ virum, multarum rerum cognitione clarum: ubi eius testimonio confirmat, re vera inueniri monstra, & beluas marinas, quas vulgò Tritonas vocant, hominem vultu & facie pube tenus referentes, sed cætera pisces.

Etsi enim præclarum decus & ornamentum merito putatur, avos, maioresq; habere celebres: Non tamen quenquam illorum fumosis imaginibus, aut rebus gestis: sed propria sua virtute niti convenit, quæ etiam sola aliquem, quamvis antea obscurus & quasi terræ filius fuerit ad alios commendat & nobilitat. Sic enim Pyndarum tibicinis filium, sic Æschinem, qui matrem habuit tympanistram, sic Euripidem, cuius mater vendendo olera se sustentavit, & multos alios non genere, non prosapia: sed propria virtute & optimarum artium scientia claruisse nouimus, ut etiam summis regibus & principibus familiarissimè usi fuerint. Quod spectat etiam illud iuuenalis.

*Tota licet veteres exornent vndiq; ceræ*

*Atria, nobilitas sola est atq; vnica virtus.*

Facile autem pater ipsius, vt oratio eò, vnde deflexit, reuertatur, velut vir prudens, nec illiteratus, ratio-

B

ne

ne dictante, vel ab exemplo animalium, puta, equorum, canum, psittacorum, imò plantarum & arborum colligere poterat, plurimum in diligenti assuefactione, disciplina, & educatione situm esse. Sciebat quoque nullum vnquam vel principem vel oratorem egregium sine præceptore & magistro aliquo extitisse. Quanti etiam Reipubl. referret, filios præcipuè heroum ac illustrium virorum rectè institui, bonisq; literis imbui, præter experientiam rerum magistram, cum diuini istius Platonis sententia abunde docere poterat, quæ extat in 5. dialogo de Repub., quam Cicero paraphrasticè ad Q. fratrem hoc modo reddidit: Plato, inquit, tum denicq; beatas fore Respublicas dixit, si aut docti, aut sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina & sapientia collocassent. Denicq; non illum fugiebat, hominem nullis literis excultum, nihil à bruto & lapide differre, & viuam esse sepulturam: quinetiam eruditionem miseris quidem esse solatium & sacrum asylum, diuitibus verò eximium quoddam ornamentum. Hæc, inquam, omnia cum pater ipsius probè sciret, nihil quoque sibi antiquius aut prius duxit, quam vt filio suo ad exemplum Persarum, & aliarum laudatissimarū gentium, probatissimos quosq; præceptores præficeret, à quibus cum qualicumq; religione etiam iustitiam, temperantiam, fortitudinem, & alias artes ingenuas, linguasq; velut cum lacte materno ab ipsis incunabulis imbiberet: Nec similis perhiberi voluit Megarensibus, quos maiorē curam caballorum & arietum, quam filiorum rectè educandorum gessisse narrant: Vel alijs istis, qui agros suos cicurare diligenter sategerunt, animos verò libero-

RUM

rum penitus efferari siuerunt. Et quanquam illum unicum, ideoq; charissimum habebat filium, non tamen illi vnquam nimium indulgebat, aut eius iuuenili inscitiae & erratis patrocinebatur, cum nimia indulgentia segnes effici natos, & neruos omnes corporis, animiq; frangi intelligeret. Quin si forte filius, quam querelam de praceptorum seueritate ad patrem detulisset, quod tamen eum, velut probum adolescentem, rarissime fecisse crediderim, multo durius iuxta morem & consuetudinem Lacedaemoniorum a patre obiurgabatur. Praeterea pater erat semper quasi viuum exemplum & speculum omnis virtutis, & filio suo in quotidiano conuictu seu vita domestica, singulari vitae integritate & morum castimonia praelucebat; studiosè cauens, ne quicquam, quod minus deceret, praesente & audiente filio, vel diceret vel faceret. Nam & hoc ad bonam disciplinam & educationem plurimum conducere, quis ignorat? Vnde Cato Manlium Senatu mouit, quod uxorem suam interdum aspiciente filia, osculatus fuisset, addens, se non nisi nocte, caelo tonante & fulgurante, suam complecti solere. Et Hieron Syracusarum Rex, Epicharmo comico grauem irrogauit poenam, quod filia audiente Fescenninos recitasset versus. Ut autem pater & praepetores nihil eorum omnino omittebant, quae ad optimam informationem facere arbitrabantur: Sic ille quoq; semper ingenui & liberalis adolescentis officio functus est. Nam tum demum institutio succedit felicissime, & euentum sortitur optatum, cum & ipse discipulus officij sui partes sedulo facit. Quid enim quæso aliquis aliud agit, qui indocilem & stupidum instituit, quam si in pertusum dolium dicta

B 2

ingerat,

ingerat, oleumq; cum opera perdat: Et qui refractarium vel à literis abhorrentem docet, quid, amabo, plus proficit, quàm si canes reluctantes venatum ducat, & equis bobusq; inuitis plaustrum agat: Vnde amœnissimi ingenij Philosophus Seneca, Malè, inquit, respondent ingenia coacta, reluctante natura irritus labor est. Sed Bonifacius noster, vt *θεῶν παῖς*, iuxta Isocratem, ex talium numero nequaquam erat. Nam ille primùm optimo valebat ingenio, vt quæ à præceptoribus tradebantur, facilimè arriperet, & retineret fideliter. Deinde incredibili quadam discendi cupiditate flagrabat, vt semper freno magis, quàm calcaribus indigere videretur. Et quia memoriam audiebat esse omnis scientiæ custodem, & rerum inuentarũ penu & thesaurum, ideo eam nunquam non diligenter exercebat, & optimos quosq; auctores ad vnguem memoriæ mandabat. Quod vt futuro Philosopho, oratori, & cuiuslibet docto pernecessarium: Ita magnarum molestiarum & tædij plenissimum est. Illas molestias etsi multi velut delicati martyres refugiant: Noster tamen Bonifacius eas statim à primis annis, secundum Quintilianum, optimum teneræ ætatis informatorem, sibi patienter deuorandas, & multa quotidie ediscenda iudicabat. Stilum etiam tam in soluta quàm ligata oratione nunquam intermittebat, aut exolescere patiebatur, memor istius: Tantũ vnumquensq; scire, quantum dicendo, scribendoq; præstare posset. Hoc igitur modo factum est, vt temporis successu in virum solidè doctum, omniq; doctrinarum scientia excellentem euaserit. juvenis 14. annorum missus fuit à patre, non vsq; adeò multis satellitibus & ministris stipatus Romam, eius vrbis, quæ olim regina vr-  
bium.

50  
bium, & caput orbis terrarū fuerat, visendæ & Iustran-  
dæ gratia: Vbi cū missam, cui & ipse pontifex Cle-  
mens VII. singulari ornatu & habitu interfuturus  
erat, audire constituisset, à Magistro Ceremoniarum ve-  
lut ignotus & peregrinus sacello exclusus fuit: quam  
rem postea pro diuino quodā omine habuit. Et quan-  
quam Italia studiorum & artium liberalium alma ma-  
ter appelletur: Tamen & in Gallias & Hispaniam,  
quarum linguarum etiam optimè gnarus erat, profe-  
ctionem susceperat. Ex istis autem peregrinationibus  
diligenter obseruauerat, non quibus laudicij in cibo  
potuq; homines exteri delectarentur, aut quo peculia-  
ri vestitu tam viri quàm mulieres vterentur: Nec so-  
lūm quis situs commoditasq; vrbs alicuius fuisset, aut  
qualis arx, cuiusmodi forum, quæ turres, propugna-  
cula, armamentaria, aliaq; eius generis: sed imprimis  
qualis esset forma Reipub. & gubernationis, tum, quæ  
Scholæ, Gymnasia, Tempa, Leges, instituta, religio  
& mores. Hinc enim Vlysem ab Homero doctrinarū  
& antiquitatis parente πολύτροπον nominari, & summo-  
perè commendari sciebat, sic Platonem quoq; quem  
Suidas Mosen Atticum appellat, sic Pythagoram, So-  
lonem, & multos alios peregrinationib. vsos, diuinam  
quandam variarum rerum scientiam sibi acquisuisse  
legerat. Et cū naturā abstemius esset, qualem vix v-  
num inter multa millia reperias, tum semper volupta-  
tem omnem, velut inimicam virtuti, & capitalem ho-  
stem honestatis, diligenter fugere solebat. Quanquam  
etiam in eo, velut in viro omni liberali doctrina politif-  
simo, summa esset humanitas: Ea tamen semper cum  
debita seueritate & maiestate quadam fuit coniuncta.

B 3

A salta-

A saltationibus Sybariticis, choreis, alijsq; lasciuiae incitamentis, quibus quosdam Italorum delectari constat, totus abhorrebat, cum & Cicero Ethnicus sentiat, neminem sobrium facile saltare. Et alius laudatissimus Princeps dixerit, saltantem non multum ab infano differre, & se malle feбри vel podagra laborare, quam saltationi operam dare. Patri autem rebus humanis exempto, Anno Christi (ἐν πλάται) 1544. in honore & bonis successit, & rerum administrandarum habenas solus suscepit. Nam mater à gubernatione & rebus politicis se sponte abdicans, priuatam vitam agebat. Soror verò Isabella de voluntate & sententia parentum, omnibus bonis, ut diximus, cesserat. Toto gubernationis tempore juris iustitiaeq; erat seruantissimus, quae virtus est quasi anima & vita rerum publicarum & ciuitatum omnium. Deinde semper emolumentis & commodis subditorum suorum studebat, ac ne quid damni detrimentiq; alicundè caperent, paternè prouidebat: talisq; omninò erat erga illos, qualem principem & magistratum ipse sibi priuatus optasset. Vnde cives illum magis venerari & amare, quam metuere solebant. In iudicijs & omnibus accusationibus, laudabilem illam Philippi Macedonis consuetudinem imitatus, nunq; nisi reo & actore satis superq; audito, sententiam ferebat. Acut ad praemia danda erat promptus & laetus: sic rursus dolebat ex animo, quoties seueritatis quoddam exemplum in aliquem statuere cogeretur. Malebat tamen semper in defectu quam excessu peccare, cogitans hominis esse clementiam, beluarum verò crudelitatem, & semper praestare aliquot noxios impunitos dimitti, quam unum innocentem damnari: Quam graves & multiplices



90  
triplices ipsius fuerint Occupationes, quivis facile con-  
iecturâ assequi potest: Attamen ob illas nunç lectio-  
nem optimorum auctorum intermittebat, quos fidelis-  
simos omnium consiliarios esse noverat: quin illis, ad  
exemplum regis Alphonsi nunç satis à quoç laudatâ,  
quotidiè aliquid temporis impendere solebat. Cumq;  
in vera cognitione Dei, & sui, veram perfectamq; sapi-  
entiam consistere rectè arbitraretur, ideo ante omnia  
sacra Biblia, ex quibus solis eam sapientiâ haurire pos-  
set, nocturna diurnaq; manu assidue versabat. Magni  
quoç tumultus, quo tempore ille rerum potiebatur,  
hinc inde in toto penè orbe terrarû propter religionem  
excitabantur, & omnia ardebant dissidijs & bello.  
Nam & Cæsar Anno Christi 1546. instinctu ponti-  
ficum copias undiq; colligens, in protestantes, ut vo-  
cant, expeditionem suscepit: Et sequenti anno Petrus  
Toletanus Prorex, Scleidano teste, maximas turbas  
in ipsa urbe Neapoli concitavit, volens ibi Hispani-  
cam inquisitionem introducere, & in quemlibet de fi-  
de & religione inquirere: In quo tumultu ab utraque  
parte multi cecidèrunt. Tales igitur dissensiones cum  
etiam Neapoli in ipsius patria ferverent, ne Dominus  
Bonifacius de re ignota, velut cæcus de colore judi-  
cium ferre, aut ulli parti temerè astipulari videretur,  
libros protestantium, quotquot nancisci poterat, in-  
primis verò Domini Philippi Locos Communes,  
aliaq; ejus scripta studiosè legit atque relegit. Nam  
Philippum à Jacobo Sadoleto, & Petro Bembo Car-  
dinalibus, alijsq; principibus viris in Italia, ob egre-  
giam doctrinam & alias ingenij dotes, valdè suspi-  
ci & magni fieri audiverat. Ex illis igitur spiritu  
sancto

sancto mirabiliter aperiente cor & illuminante oculos  
 ipsius intelligere, in quantis Cimmerijs tenebris &  
 maximarum rerum ignoratione versaretur: Deinde  
 perspicue cognoscere, nihil ad Dei verbum addendum  
 esse, nihilq; auferendum, nec in præceptis patrum, sed  
 solius Dei ambulandum: Deumq; frustra coli manda-  
 tis hominum: solum etiam DEVM patrem Domini  
 nostri Iesu Christi vnà cum filio & spiritu S. inuocan-  
 dum, nec vllos alios diuos, diuasq;: Christum quoq;  
 vnicum esse intercessorem & mediatorem Dei & homi-  
 num, nec vllos alios quærendos: hominem justificari  
 non proprijs meritis & dignitate: sed fide gratis abs-  
 que operibus legis: fidem justificantem esse *ωληροφο-  
 ρίαν* quandam, hominemq; oportere certo & indubitan-  
 ter remissionem peccatorum suorum credere: Vnicum  
 Ecclesiæ Dei caput esse Christum, & regnum Christi  
 non mundanum esse sed spirituale. Hæc & alia plura,  
 quæ breuitatis gratiâ prætereo, cum ex scriptis Domi-  
 ni Philippi probè percepisset, varia secum deliberare  
 cœpit, & (quemadmodum Poëta noster de Ænea ca-  
 nit) animum celerem nunc hûc nunc diuidebat illuc, in  
 partesq; varias rapiebat, perq; omnia versabat. Tandẽ  
 re satis diuq; secum pensitata concludebat, ad se quoq;  
 dictum illud pertinere: fugite Idola: Item discedite e  
 Babylone: Nec propterea vllam bracteata, fictam, &  
 momentaneam felicitatem, illi solidæ, veræ, & æternæ  
 esse anteponendam. Quanquam verò facile suo hono-  
 ri & dignitati velificari potuisset, agnitam veritatem  
 dissimulando & reticendo: Maluit tamen non solum  
 dignitatem & omnia sua: sed & vitam ipsam in extre-  
 mum periculum adducere, quàm quicquam contra con-  
 scientiam

scientiam delinquere, territus etiam recenti & tristi exemplo Francisci Speiræ, ex desperatione propter abnegatam veritatem Anno Christi 1548. Citadellæ in Italia mortui: quo etiã Petrus Paulus Vergerius, alijsq; Itali moti, Papatui renunciavêre.

Vt autem sibi de viatico prospiceret, sciente & permittente Imperatore Carolo, civitatem suam Oriam & terras Francovillæ & Casalis novi aliquot mille ducatis oppignoravit. Illam pecuniam & alia sua, quæ possidebat, *κεμήλια* haud aspernanda convasavit, itaq; cum paucis servis & ancillis in exilium sponte concessit. O rem admirabilem, atq; omni laude, prædicatione, & literis decorandam. Ac primò Neapoli discedens Venetias venit, ubi sciebat quosdam de doctrina etiam rectè sentire. Verùm cum Papa, quem huius viri fuga diu latere non potuit, ad Venetos literas dedisset, cupiens istum hæreticum ad se mitti, à senatore quodam de periculo clamò monitus, Basileam migravit, inde Tigurum, Argentinam, VVormatiam, Augustam, nec non totius Germaniæ præcipuas vrbes perlustrâs, cum doctissimis quibusq; ejus temporis viris, noticiam amicitiamq; contraxit. Viennam verò profectus, aliquot mille ducatos Senatui istius vrbis loco fœnoris elocavit. Anno 57 in urbem Vangionum redijt, auditurus præcipuè colloquium, quod protestantibus cum Pontificijs habendum erat. Hic sæpe numerò cum Domino Philippo conversatus fuit, & de præcipuis religionis articulis amicè contulit. Vidi inter cætera quasdam pagellas apud ipsum, continentes Apologiam Augustanæ confessionis, quas Philippus ibi propria

C

pria

pria manu ipsi inscripserat. Inde in Poloniam & Lithuaniam se contulit, ubi eius præsentia multis Palatinis & magnificis viris longè iucundissima fuit. Ex Polonia huc Dantiscum venit primò circiter annum 79. & hinc post unum vel alterum mensem anchoram solvens, in Daniam navigavit: Ex Dania in Germaniam reversus, & pecuniam elocatam à Viennensibus absq; fœnore repetens, Constantinopolim ster instituit, ut ibi mancipium quoddam Christianum, certo pretio emptum vel potius redemptum, sibi compararet: Qua de re ipse peculiarem odam quandam composuit, in qua DEO Optimo Maximo gratias agit, pro miranda sui, in periculoso itinere, defensione. Ex Thracia rediit Vilnam, ubi in ditione & prædio Magnifici Domini Palatini Trocñ aliquot annos commoratus fuit. Isthinc rursus in Germaniam abiit, & ex Germania in Sueciam & Angliam, vnde tandem post infinitas fere peregrinationes cum bibliotheca sua, quam velut unicum suum thesaurum, & omnium suarum ærumnarum medicinam, secundum DEVM, ubiq; secum aduehi curabat, huc auspicio minus quidem felici appulit. Nam interea, dum huc ex Anglia nauigationem suscepit, oculis captus & talpa cæcior factus est: Qua re nulla maior miseria homini accidere potest. Postea hic ad ostium maris & penè in ipso portu naufragium fecit, ut non sine ingenti periculo unà cum bibliotheca penitus madefacta in litus fuerit expositus. Cùm igitur sic anno 91. huc appulisset, & pecunia quoq; omni exhaustus, necessarijs sumptibus ad diuturniorem vitæ sustentationem destitueretur,

L. 301

tueretur, Bibliothecam suam aquis marinis valde im-  
minutam, deturpatam, & corruptam, amplissimo sena-  
tui nostro offerri curavit, qui misera tanti viri condi-  
tione motus, illum sibi non solum in patrocinium &  
clientelam fideliter suscipiendū: sed etiam ipsi de victu  
& amictu usq; ad vitæ exitum liberaliter prospicien-  
dum putavit: Quia verò senatus illi habitationem  
quandam inter pomœria Gymnasij assignauerat, face-  
re ego nec potui, nec debui, quin illum humanitatis &  
officij ergò, quantum per occupationes licebat, sæpe  
viserem. Quod ipsum quoq; à Dn. Collegis, & alijs  
summi subsellijs & dignitatis conspicuæ viris, fieri so-  
lebat. Vnde factum est, ut, quæ hæctenus de eo com-  
memoravi, pleraq; ex ore eius ipse acceperim: Et de-  
inde vitam eius hîc actam, diætam, deniq; quosdam me-  
morabiles sermones diligenter observârim, de qui-  
bus, velut & de ipsius beata ex hac vita emigratione  
paucis posthac verba facere decrevi. Ac vita quidem  
eius, quantum animadverti, erat coram mundo in-  
culpata, omnisq; sceleris & criminis expers, utpote  
in qua multa veræ pietatis indicia elucebant. Cæci-  
tatem, assiduos cruciatus stomachi, cephalæam, ali-  
asq; gravissimas misérias patienter tolerabat, cre-  
brò citans illud Iobi: Etiam si occiderit me Domi-  
nus, tamen sperabo in eum. Item Dominus dedit, do-  
minus abstulit, sit nomen Domini benedictum. In  
cibo & potu Zenone erat temperatior. Sumebat  
quidem cibum, bis quotidie statis horis, mane nimi-  
rum circiter decimam, vesperi circa quartam. Sed tam  
in prandio quàm cœna semper tantum vescebatur,

præter panem ordinariè duobus vel tribus ad summum  
 ovis gallinarum, duriter coctis, cum allio, quibus ad-  
 debat nonnunquam amygdalas, uvas passas vel ficus,  
 aut etiam aliquot bolos casei. Loco potus bibebat lac  
 bubulum, aquam pluuiam, nivalem, salientem, vel  
 fontanam, cum aliam habere non posset. Vinum tan-  
 quam abstemius nunquam nisi semel in tota vita gusta-  
 verat, cum cupam generosissimi vini Venetijs dono  
 missam accepisset, ex quo haustu ceu brevi quadam in-  
 fania & amentia correptus fuerat, donec illud villi e-  
 dormiuisset: Inde verò postea multò magis à vino ve-  
 lut à præsentissimo veneno per totam vitam abhorre-  
 bat. Quia autem erat helluo librorum, & vir multiju-  
 gæ lectionis, ut non immeritò alter Polyhistor dici  
 posset, cujus rei etiam ipsius libros testes, ut sic lo-  
 quar, viuos & oculatos citare queo: ideò de varijs re-  
 bus libenter conferebat, plurimas quoq; historias &  
 illustrium virorum apophthegmata commemorabat:  
 quibus tamen omnibus præteritis, saltem pauca quæ-  
 dam ipsius peculiaria dicta attingam. Rogabat me  
 aliquando, num vellem DEVM mundi videre: Et  
 cum respondissem, verum DEVM conditorem &  
 conservatorem mundi spiritum esse infinitum, habi-  
 tantem in luce inaccessibili, quem neque Moses ipse  
 chori Prophetici dux viderit, neque quisquam homi-  
 num hic mortalibus oculis videre posset: sic est aie-  
 bat, Veruntamen & ego de Deo mundi loquor: Ibi  
 cum cuperem monstraret mihi, quid nam idoli esset,  
 quod DEVM mundi appellaret, nummum nostratem  
 sudario depromens, & duobus digitis in altum elevans:  
 dixit:

dixit: En DEVM, quem unum pleriq; homines in mundo suspiciunt, colunt, adorant,

*Est DEVS in primis scelerata pecunia nobis*

*Præcipuè hæc colitur.* Et notum tibi

est istud: τῷ χεῖματι πάντα ὑποτάσσεται. Sæpè etiam fatum nostræ vrbis miserabatur, & DEVM toto pectore precabatur, ut quævis impendentia mala vel penitus auerteret, vel clementer saltem mitigaret, addens hæc verba: Ego certò statuo, idq; omninò exploratum habeo, Deum huic Reipub: mea causa benefacturum, quòd me miserum adeò liberaliter alat & foveat. Est enim DEO non justior alter, qui se etiam haustum frigida in nomine suo datum abundè compensaturum promittit. Cùm aliquando ab eo quæsitus, quid novi in vrbe audiretur vel ageretur, respondissem, me nihil omninò scire, nisi quod strenuè rursus in vallo laboraretur, subiecit istud Lactanti, Omnia quidem opera mortaliū sunt mortalia: Attamen istos, addidit, labores plus quàm Herculeos & prudentissimum institutum optimorum civium, non possum non summis efferre laudibus. Nam

*Ædificâre alij nobis, nos posteritati,*

*Sic prius acceptum reddimus officium.*

Et quis nescit, laborando, vigilando, benè consulendo prosperè omnia cedere? si quis se autem socordia ignaviaq; tradiderit, illum nequicq; Dei opem implorare, quin Deum iratum infestumq; illi esse? Cùm audisset, Christianos magnam cladem perpeffos, Iaurinum præcipuum quoddam Vngariæ propugnaculum amisisse, (quod tamen iam singulari Dei munere

C 3

felicif-

felicissimè recuperârunt) ex imo corde suspiria ducens  
 dixit: Vtinam, vtinam, nos Christiani Turcam pri-  
 mùm ex pectore nostro eijceremus: sic nullum foret  
 dubium, quin meliorem fortunam experturi, illum  
 non solum Vngariâ, Verùm etiam totâ Europâ facile  
 expelleremus. Per Turcam verò pectore eijciendum, in-  
 telligebat pravas cupiditates & affectus, ad quævis pec-  
 cata homines, contra Dei legem incitantes. Quoties  
 mortis mentionem faciebat, (faciebat autem eius ferè  
 quotidie) semper in ore habebat illud divi Apostoli:  
 Cupio dissolvi, & esse cum Christo: Item Christus mi-  
 hi vita, mors est mihi lucrum. Et cur, aiebat, mortem  
 metuam, quam scio transitum esse, de labore in refri-  
 gerium, de expectatione ad præmium, de agone ad bra-  
 vium, de morte ad vitam, de fide ad noticiam, de pere-  
 grinatione ad quietem, de exilio huius mundi ad ve-  
 ram patriam? Sardanapalorum & Ethnicorum est  
 mortem expauescere: Christianis nihil quicquã opta-  
 tius evenire potest. Aliquando Dominica prima post  
 festum Trinitatis, cùm multa locutus esset de Euange-  
 lio istius Dominicæ, in quo exponitur parabola, vel,  
 ut alij volunt, historia de Lazaro mendico, & divite  
 epulone: Et purgatorij mentione facta dixisset, quan-  
 tum pecuniæ per errorem pro anima patris, ex purga-  
 torij tormentis liberanda, in indulgentias profudisset,  
 hoc dilemma contra purgatorium afferebat. Aut est,  
 aiebat, purgatorium, aut non est: Si est, & Pontifex  
 Romanus potestatem habet, ut aiunt, animas inde  
 eximendi, non utiq; summæ immisericordiæ notam ef-  
 fugit, quod non nisi opulentorum animas, nume-  
 ratâ



ratâ pecuniâ inde liberet, relictis ibidem animabus pauperum, quorum longè maior imò maximus est numerus, cum eum oporteret meminisse præcepti Christi: Gratis accepistis, gratis dabit. Si non est, neque potestas pontifici ea collata, in multò justiore reprehensionem incurrit, quòd tali modo, non dicam fraude, homines argento & opibus emungat.

Ridebat etiam, illos Divum Petrum, D. Mariam, Paulum, & alios vita functos sanctos, velut intercessores & deprecatores apud Deum invocare solere, cum nullum de eo in sacris literis extaret mandatum, nullum quoque possent proferre exemplum piorum ex scripturis, qui idem antea fecissent, nullam denique vel minimam promissionem de exauditione sui haberent. Imò, dicebat, animæ piæ mortuorum, vel noverunt nostrum statum & miserias, in quibus versamur, vel non noverunt. Si noverunt, quemadmodum illi absque ullo testimonio verbi divini saltem ex suo cerebello somniant, ipsis nimirum hoc à Deo, vel ab angelis & animabus aliorum piorum, per mortem beatam hinc illuc convenientibus manifestari, quomodo verum est istud, illas apud Christum degere in pace & lætitia ineffabili, qualè nullus oculus viderit, nulla auris audiverit, quæ in nullius cor descenderit, & quæ nulla lingua angelorū, nedum hominū eloqui satis possit? Et quomodo illud sibi constat, quod etiam ipse D. Augustinus in libro de cura pro mortuis cap. 13. non abs re vehementer urget: Tu es pater noster. Abraham enim nescit nos, & Israël non novit nos? Et hoc, quod Dñs. Jehova pientissimo Regi Iosia promisit, inquit, Ecce ego congrego te ad patres.

patres tuos, & apponeris illis cum pace, & non videbunt oculi tui omnia mala, quæ adducam super locum istum, & eos, qui commorantur in illo? Sin verò non noverunt, quod verbo Dei, & analogiæ fidei maximè est consentaneum, quid iuvabit, aliquem illos horis canonicis, ut vocant, voce plus quàm Stentorea, aut etiã secum summissa, centies millies invocare, aut quomodo pro aliquo, ejusq; miseris auferendis vel mitigandis Deum deprecabuntur? Certum est igitur, illos non solum toto cœlo, ut mollissimè dicam, extremè errare, invocationis cultum soli DEO præstandum, contra expressum eius mandatum, creaturis tribuendo: Sed etiam illos, quoties sanctos invocant, (inter quos quoq; mirandæ staturæ virum Christophorum, Catharinam, Georgium, & alios numerant, de quibus, an vixerint, aut quò post fata sint translati, adhuc sub iudice lis pendere videtur) tantum parieti, lapidi, & verè respectu illorum mortuis, velut adagia habent, verba facere. Tota Biblia erant ipsi familiariter nota, in primis verò Epistolas D. Pauli, & Apostoli Iohannis à verbo ad verbum edidicerat: Ac epistolas D. Iohannis epitomen seu compendium euangelij Iohannis, ac præcipuorum articulorum Christianæ religionis vocabat.

Cùm ad ipsum venirem quatrìduò, antequam expiraret, ut multos alios ejus sermones omittam, (erat autem is dies 21 Martij An. 1597.) narrabat mihi inter cætera, quod præterita nocte ex catharro penè suffocatus fuisset: Sed Dei ope velut ex mortis faucibus ereptus, se recollegisset: Ac tum quasi de morte sua diviuans, brevi futurum est, dicebat, ut muliercula ista, famula mea, citato gradu ad te veniat, dicatq;: Miser noster

ster

ster senex obiit. Erat tum illi quoque ad manum Horatius, quem inter omnes poetas Latinos maximi faciebat, & D. Cypriani tractatus de morte, quem Amplissimo viro Domino Iohanni Thorbecio, Scholarchæ nostro multis nominibus observando, dare destinaverat: Horatio autem mihi in manus tradito, fac quæso, aiebat, periculum, num odas Horatii adhuc teneam: Cumque iuberem recitaret odam illam: Beatus ille qui procul negocijs, in quam, librum forte explicans, incideram, & ille odam totam absque hæsitatione recitasset: En dicebat, quam probe nugas illas adhuc teneam, cum interim multa longe utiliora, & magis necessaria tantum non prorsus oblivioni tradiderim, inter quæ etiam hunc tractatum B. Cypriani numero. Sed causam eius rei reddit nobis ipse etiam Horatius cum inquit:

*Discit enim citius, meminitque libentius illud,*

*Quod quis deridet, quam quod probat & veneratur.*

Postea rogabat, uti sibi quædam ex prædicto tractatu D. Cypriani prælegerem: Cumque id facerem & addictum istud devenirem: Eius est mortem timere, qui ad Christum ire nolit: Eius est ad Christum ire nolle, qui non credit se cum Christo regnaturum: oportebat me illud legendo aliquoties iterare. Idem fieri volebat in sequenti dicto. *Sed omnis trepidatio nostra contra mortem inde est, quia non credimus Christo, promittenti nobis æterna gaudia. Si tibi vir gravis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te decipi ab illo putares. Nunc DEVS tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus*

D

dus

dus fluctuas? Deus tibi recedenti de hoc mundo im-  
 mortalitatem pollicetur atq; æternitatem, & tu dubi-  
 tas? Apparebat etiam illum apprimè delectari hac  
 sententia: *Quando morimur ad immortalitatem morte  
 transgredimur, nec potest vita æterna succedere, nisi  
 hinc contigerit exire. Non est mors exitus, sed transi-  
 tus, & temporali itinere decurso ad æterna transgressus.*  
 His lectis domum me eo die recipiebam. Sequenti  
 verò die, cùm ad ipsum redirem, uti quidem pri-  
 diè antè petierat, & quærerem quid ageret, respondit,  
 rumino mecum 17. cap. Euangelistæ Iohannis, in quo  
 Christus verus ille noster sacerdos, secundum ordinem  
 Melchisedech, ardentissimas preces ad æternum pa-  
 trem instituit, pro illustratione suæ gloriæ, tum pro  
 Apostolis, & omnibus in se credituris. Et iam ferè  
 perveni ad calcem istius capitis, nimirum ad ista omni-  
 um dulcissima verba, imis cordium nostrorum pene-  
 tralibus infigenda: *Pater quos dedisti mihi, velim ut  
 ubi sum ego, & illi sint mecum, ut conspiciant gloriam  
 illam, quam dedisti mihi &c.* De his postquam paucis  
 inter nos conferendo dixeramus, quantum doctrinæ &  
 cōsolationis de certitudine nostræ salutis, & vitæ æter-  
 næ verba ista, contra omnes Pyrrhonios & Academicos  
 continerent, postulabat ut legendo in tractatu Cypriani  
 pergerem: Ex qua lectione rursus hoc dictum præci-  
 puè (quanquam singula verba singularem emphasim  
 habere dixit) asterisco seu memoria dignissimum iudi-  
 cabat, quod cùm tractatus iste in paucorum manibus  
 versetur, hic subiungendum quoque iudicavi. *Quis  
 non peregrè, inquit Cyprianus, constitutus properet in  
 patriam:*

patriam regredi? quis non ad suos navigare festinans  
 ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter sibi  
 charos liceret amplecti? Patriam nostram paradisum  
 computamus, parentes nostros Patriarchas habere  
 iam cœpimus. Quid non properamus & currimus, ut  
 patriam nostram videre & parentes nostros salutare  
 possimus? Magnus nos illic charorum numerus expe-  
 ctat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & co-  
 piofa turba desiderat. Absoluto illo tractatu meminit  
 cuiusdam orationis de morte, Erasmi Roterodami, in  
 qua sibi imprimis probari dicebat disputationē illam,  
 quam peccator iam morti vicinus, cum Sathana gene-  
 ris humani hoste haberet. Tandem hoc colloquium  
 isto ferè modo finiebat, Ego, inquiens, annorum & vi-  
 tæ satur horam decretoriam quotidie expecto. Nam si  
 vixero usq; ad 25 diem Aprilis, annum ætatis meæ 80.  
 explebo. Vbi autem contigerit me mori, curabitis tan-  
 tum me absq; ulla magnificentia, & singularis pompæ  
 ostentatione honestè sepeliri, eaq; de re quoddam car-  
 men suum recitabat. Illo autem, quo moriebatur, die,  
 qui erat 24. Martij, manè ante decimam ad ipsum vo-  
 cabar, ut illi præter pristinum suam morem in lecto  
 decumbenti, nec præ nimia totius corporis infirmita-  
 te surgere valenti, mappam, cultrum, & alia ex cista  
 depromerem. Volebat enim prandere. Et cum quæ-  
 reretur, quòd valde ægrotaret, & continua tussis &  
 catharrus eum insuper infestaret, paucis, quando ali-  
 is eram occupatus, ei suggerebam illud, quod fre-  
 quenter ipse allegare solitus fuerat: senectutem,  
 quæ per se sit morbus, & quidem insanabilis, non  
 D 2 adventare

adventare solam: sed infinitum comitatum omnis generis morborum secum adducere. Fulciret autem & erigeret animum suum indubitata spe liberationis omnium morborum & ærumnarum, quam cælestis & æterna læticia certò exciperet. A prandio cùm audita tertia illum rursus accederem, & cæteri amici ab eo digressi essent, voluit me sibi porrigere cantharum: unde simulatq; frigidam bibisset, nunc sentio, agebat maiorem respirandi difficultatem & cruciatus quoq; stomachi intendi. Cùm autem dicerem, cur igitur à potu aquæ non abstines, siquidem eum tibi minimè conducere intelligis, video, respondit, meliora, proboq;, deteriora sequor, vel, ut cum Paulo loquar, sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Vbi autem paululum respirasset, & se quasi recollegisset, Ago, dicebat, mi VVelli, tibi gratias pro tuis in me beneficijs, quæ DEVS tibi retribuatur precor: Oro etiam si te dicto factovè ullo unquam offenderim, mihi per Christum ignoscas. Ante omnia verò DEVM pro me assidue invocare rogo, ut me his corporis vinculis quàm primum solutum ad se in æterna gaudia clementer recipiat. Ad quæ brevissimè respondi, nulla prorsus gratiarum actione opus esse, cùm nulla mea in illum extarent vel beneficia vel officia: Neq; me meminisse ullius vel minimæ offensæ, ideoq; non esse, cur condonationem aliquam petat. Me precari autem Christum Dominum toto pectore, ut ad ipsum citissimè veniens veniat, nec illum ex hac lachrymarum valle ad se in cælestem gloriam transferre tardet. Hoc sermone inter nos habito, postremò experiar, dixit, num possim paululum

paululum quiescere, quandoquidem miser iam multas noctes insomnes duxerim. Quod cum audirem, supremo vale verè illi dicto, abibam. Nam ab eo tempore (instabat autem hora 5.) nullum verbum cum eo commutavi. Etsi autem colligere poteram ex crebro anhelitu, tum pulsu arteriæ maximè inæquali, magnam eius esse infirmitatem: Non tamen putabam, mortem, ultimam rerum lineam, ut iste loquitur, illi tam propè adesse, & quasi præ foribus stare, cum vox nihil solito esset remissior. Mulierem nihilominus discedens iubebam, ut eius rectissimè curam ageret, siquidem valdè infirmus esse videretur. Vix autem hora præterierat, quando uno atq; altero suspirio emisso placidè in Domino obdormiverat, itaq; se ad quietem omnium optatissimam verè composuerat. Venit igitur ad me mulier, & quemadmodum ipse, tanquam vates, iuxta proverbium, optimus benè coniectans, prædixerat, profusis lachrymis dixit: Heu senex noster extremum efflavit halitum. Triduo post hoc est 26. Martij sumptibus Amplissimi senatus (qui etiam cum primarijs nostræ urbis civibus illi postremum officium deductionis præstitit) honorificè sepultus fuit in templo, quod à sacrosancta & individua Trinitate nomen accepit: Vbi iam corpus eius, quod fuerat templum spiritus S. quiescit usq; ad diem restitutionis omnium. Anima verò eius agit non in tormentis purgatorij, multò minus in Campo Elysiio apud sapientem Pythagoram, poetam Homerum, Olympum Musicum, vel deniq; Hecateum historicum, ad quos miseri Ethnici se vita functos certo certius venturos esse sperârunt: sed in cœlis

apud Christum filium DEI, quem unicum suum redemptorem & mediatorem hic corde agnovit, & ore coram mundo intrepidè fuit confessus.

Quia autem nobis mortalibus, posteaquam varios omnis generis labores, miserias, & ærumnas ex definito DEI Opt. M. consilio exantlaverimus, nihil tandem optatius, felicius aut beatius quicquam contingere potest, quàm pia & placida ex his terris emigratio: Cùm enim illa clausula bona est, omnia præterita bona fuisse meritò statuitur: idcirco nos, quàm diu immensum huius salis æquor aramus, & lucis huius usura fruimur, remis velisq; h. e. omni studio & conatu quotidie, fidem & conscientiam bonam conservando, ad illum optabilem æternæ salutis portum contendamus, & anhelemus, subinde in hunc vel similem modum, toto animo & pectore precantes:

*Da pater extremæ cùm vitæ advenit hora,  
Te presente mori, nil me terrentibus umbris,  
Inq; tuos animam amplexus effundere orantem:  
Hoc tantum mihi, plura alijs optantibus, adde.*

SEQUUNTUR HYMNI  
IOHANNIS BERNHAR-  
dini Bonifacij.

IN



# IN SANCTVM CHRIS- TI NATALEM.

**D**ic unde luget lucida  
 Lux ista, quæ mortalibus  
 Optata tandem apparuit,  
 Immensa portans gaudia?  
 Divinus ille nascitur  
 Qui natus antè erat puer,  
 Quàm mundus esset conditus,  
 Celos qui & ipse condidit.  
 Splendor parentis optimi,  
 Virtus, imago, gloria,  
 (Hostis maligne rumpere)  
 Qui venit ipse & est Deus.  
 Agnosce nunc orbis tua  
 (Potes tamen si agnoscere)  
 Excelsa & alta munera,  
 Divinitus tibi data,  
 Iam maxima molestia,  
 Iam non minora crimina,  
 Cladem minabantur tibi  
 Necemq; certam perditio.  
 Relicta nulla spes erat  
 Firmi auxili, nullus modus  
 Necem evitandi, clauserat  
 Vias tibi hostis undiq;  
 Ecce unicum mittit suum  
 Pater benignus filium,  
 Qui perditum te liberet  
 Ab omnibus periculis.

Teq;

Teq; omnibus beet bonis,  
 Exornet atq; gloria,  
 Quam effarier nulliv os valet,  
 Sensus nec ullus percipit.  
 Qui hereditatem nobilem  
 Elargiatur, non quidem  
 Illam caducam, vel brevem  
 Sed permanentem jugiter.  
 Optate salve Pusto  
 Desiderate gentibus  
 Cunctis, sat opportunè ades,  
 Salve puer sanctissime:  
 Qui dona nobis exhibes  
 Tot, tanta, tamq; splendida,  
 Salve puer ter maxime,  
 Spes nostra, virtus & salus.  
 Beata regna deseris,  
 Casas ut infimas colas,  
 Ditissimus cum sis, tamen  
 Pauperrimus sis omnium.  
 Augusta cælum cum domus  
 Esset tibi, non despicias  
 Exile stabulum, nasceris  
 Vilissima inter stramina.  
 Mendax sile vanissimi  
 Creta Iovis cunabula,  
 Tacete vosq; principum  
 Pompas superborum leves.

Nun-

Nunquam scio, id negabitis  
 Vile stabulum quanq̄, attamen  
 Superare vos longè, vident  
 Cæci hoc & infantes rudes.  
 Salve puer fortissime,  
 Insigne propugnaculum,  
 Defensio tutissima,  
 Nostra, hostibus verò timor.  
 Nunc ô sodales, nunc decet  
 Gaudere maximè & simul  
 Gestire, nostra noscimus  
 Si mente recta gaudia.  
 Verùm istud haud vulgærium  
 More est agendum, sed magis  
 More & modo, quo candidi  
 Pijq̄, spiritus solent.  
 Purganda primùm pectora  
 Sunt nostra, cuncta crimina  
 Linquenda, mundus ut Puer  
 Nos cernat & mundos quoq̄.  
 Nam quæ, malum, dementia  
 Nos sordidos ostendere  
 Huic, sordidi qui nil potest  
 Videre, sed munda omnia?  
 Dic quæ esset, heu, confusio,  
 Quæ nostra desperatio,  
 Si avertat à nobis sua  
 Ora, & minax deseviat.  
 Heu qui, miselli, tunc metus  
 Punitio immo & maxima,  
 Cùm vestibus nos turpibus

Torto-

Tortoribus prædam daret?  
 Ergo induamus candidam  
 Vestem, decentem in nuptijs  
 Agni inclyti, ut nobis sacras  
 Donare dignetur dapes.

IN SANCTAM CHRI-  
 STI CIRCUMCIS-  
 sionem.

Adeste vos omnes precor,  
 Est cordibus quorum insitas  
 Cælestium regnorum amor,  
 Et gloria æterni Patris.  
 Adeste dum canit lyra  
 Pusilla, miranda & sacra  
 Mystera excelsi Dei,  
 Prorsus profanis invia.  
 Procul profani omnes procul,  
 Audire namq̄, hæc vos nefas,  
 Non convenit porcis dare  
 Pretiosa dona sordidis.  
 O dona verè maxima,  
 Vestros quæ amatores semel  
 Sic redditis dites, opus  
 Ut postea illis sit nihil.  
 Vos dona magna redditis  
 Planè beatos, vos qui amant  
 Vos sola dona, at cætera  
 Non dona dona nuncupo.  
 Audite mira quæ loquar:  
 Verbum beatum, filius

Dei

DEI relicta Regia  
 Cæli, atq; cæli gloria.  
 Haud spreuit ad nos infimos  
 Venire, mortalem neq;  
 Carnem est gravatus sumere,  
 Nostramq; perpeti vicem.  
 Ipsamq; passus est sibi  
 Pellem sacratam abscindier,  
 Quo more Iudæi solent  
 Abscindere pueris suis.  
 Qui criminis prorsus fuit  
 Expers, ut unus attamen  
 Peccator hoc lubens tulit,  
 Mirabilis res & nova.  
 Sanctissimus solus qui erat,  
 Peccata solus qui abstulit  
 Mortalium, factus tamen  
 Peccatum is est & victima.  
 Nomen beatum & inditum est  
 I E S U S, ô nomen sacrum,  
 Nomen salutem continens  
 Omnem, atq; veram gloriam.  
 Hoc fidimus nos nomine  
 Hostes malignos vincere,  
 Et omnia insuper mala,  
 Patriamq; cæli acquirere.  
 Eia agite nostrum vos decet  
 Celsissimum Deum sequi,  
 Scindenda nobis haud caro,  
 Hæc namq; scissa sufficit,  
 Peccata nostra nos decet

Cupi

Cupidinesq; scindere,  
 Hæc sarcinam nostram grauant,  
 Et implicant ad cælum iter.  
 Scindamus ergo has bestias,  
 Libidines nostras malas,  
 Et cuncta prava crimina,  
 Hæc sola sunt superflua.  
 Hæc maxime pijs nocent  
 Imò hæc pios sola enecant,  
 Nocere nullus queis potest,  
 Modò hæc nocere non queant.  
 Te Christe cælestis Patris  
 Aeterna proles optima,  
 Spes & salus fidelium,  
 Precamur ut feras opem.  
 Tu Christe supplices iuva,  
 Tu viribus nostris fave,  
 Sunt namq; valde debiles,  
 Nisi validas tu feceris.  
 Nil possumus prorsus sine  
 Te fons, bonorum, qui es boni  
 Facere, nisi usq; plurimum  
 Peccare teq; ledere.  
 Ergo Rogamus subveni.  
 Et nos labantes sustine,  
 Sic iam potentes, sic satis  
 Fortes erimus & strenui.  
 Sic postea regnabimus  
 Per cuncta tecum sacula,  
 In gloria immensi Patris  
 Et Spiritus sanctissimi.

E

IN

## IN EPIPHANIAM.

Quid sidus istud suspicis  
 Attentus, antehac remini  
 Visum in die, nec dicere  
 Unde accidat scis, aut vales?  
 Non hoc cometes est, trucidis  
 Mavortis viam nuntians,  
 Populisue pestem vel famem,  
 Regisue mortem aut Caesaris.  
 Non aurei Phæbi, neque  
 Phæbi sororis lucide,  
 Errantiumue siderum,  
 Manentiumue tale opus.  
 Non aëris, non nubium,  
 Non ignis est vis torrida,  
 Non spiritus fervens maris,  
 Terræ vaporem nec movet.  
 Novum vides spectaculum,  
 Seu verius miraculum,  
 Cælestium alto quod jubet  
 Fieri Pater mysterio.  
 Nato recens iam filio,  
 Videre stellam protinus  
 Magi beati, in nobilis  
 oris remotis Persidis.  
 Ergo stupentes Ocyus  
 Sequuntur hoc sidus ducem,  
 Queruntque in urbe regia  
 Iudææ, ubi esset inclytus  
 Rex ille, qui natus recens:

Olympus.

Olympus hoc ostenderas  
 Feliciores sidere,  
 Futura promittens bona.  
 Trepidare cerneris nimis  
 Statim Tyrannum, nec minus  
 Scribas, vasrosque Antistites,  
 Totam & simul plebeculam.  
 Iudææ cæce non vides  
 Illud, quod exterius videt?  
 Tu negligis quod discere  
 Et nosse, gaudent exteri.  
 At te Tyranne perfide,  
 Perturbat ecquis nam pavor?  
 Quando hæc times amittere  
 Terrena, perdis aethera.  
 O stulte quæ tu lumina,  
 Huic claudis almo lumini,  
 Cæco tibi qui lumina  
 Ferebat, unde cerneres?  
 Quum cogitas vitam tuam  
 Delere demens, Rex tibi hic  
 Vitam adferebat, nec potest  
 Qui æternus est unquam mori.  
 Volebat hic morbos tuos  
 Sanare cunctos, tu tamen  
 Insane non vis, respice  
 Qui est sola verè sanitas.  
 Qui Regna donat splendida,  
 Aeternaque hunc tu forsitan  
 Has sordidas tuas putas  
 Captare & angustas opes?

Quid!

Quid innocentes perdere  
 Studes scelestè? perditur  
 Nunq̄ innocens, tu perderis,  
 Et nunc & usq; perditus.  
 Prudentius quanto at probi  
 Magi, inclytū quod queritant  
 Infantem, & illi munera  
 Donant Adorantes tria.  
 Fulvum metallum scilicet,  
 Ac thrys sacrum, quod colligunt  
 Suis in hortis seduti,  
 Cum myrrha odorata simul.  
 Vides in his mysteria  
 Latere quàm sublimia,  
 Hæc sancta noverunt pijs,  
 Suntq; impijs incognita.  
 At nos sequamur hos bonos  
 Magos, adorantes Dei  
 Natum unicum, illi munera  
 Donemus & non vilia  
 Libenter, id quod possumus,  
 Nostras opes & gloriam,  
 Animamq; cor, & deniq;  
 Illi offeramus omnia.  
 Nobis enim certè omnia  
 Donavit ipse, & propria.  
 Ergò libenter nos sua  
 Illi offeramus omnia.

IN PASSIONEM  
CHRISTI.

Spectate,

Spectate, spectate obsecro  
 Viri optimi, vobis loquor:  
 Nam cum malis & impijs  
 Res nulla prorsus est mihi.  
 Spectate nostrum principem,  
 Terra, ætheris, marisq; herum,  
 Quot, quanta sustinet fera  
 Tormenta nobis debita.  
 Iustissimus pro perfidis,  
 Et pro improbis sanctissimus,  
 Et equitas pro crimine,  
 Demum Deus pro vermibus,  
 Damnatur innocens Deus,  
 Pro pessimis mortalibus,  
 Peccatum ut omne tolleret  
 Peccatum habere sustinet.  
 Latro nocens absolvitur  
 Communibus suffragijs,  
 Sciamus ut malis scelus  
 Virtute longè carius.  
 Ridetur atq; luditur  
 Probris, modisq; turpibus,  
 Vultusq; sputo aspergitur,  
 Duris flagellis caditur.  
 Si quis ioco vel seriò  
 Quid fecerit, vel dixerit,  
 Quod vel parùm nos mordeat,  
 Quot excitamus prælia?  
 Gestare cogitur crucem  
 Sanctissimis sub humeris,

E 2

Vs



Ut scilicet nullus gravis  
 Incognitus desit labor.  
 Sufferre triste nos nihil  
 Quimus mali, nec arduum:  
 Est otiosis præstò equus,  
 Lætica, currusue aptior.  
 Ne dedecus desit, duo  
 Fures sodales in cruce  
 Medium tenent, ex his probris  
 Laceſsit unus acriter.  
 Cùm nobilis iam quilibet,  
 Ignobiles spernat viros  
 Comites habere, non modò  
 Viles, latrones, & malos.  
 Affixus in summa cruce  
 Pendere cæli conditor  
 Videtur, ecquis nam poteſt  
 Spectare ſiccis hæc genis?  
 Nec cernimus ſiccis modò  
 Iſtud genis, ſed ludimus,  
 Iocamur, & nugas meras  
 Sectamur, atq; ſtertimus.  
 Corona ſpinis horrida  
 Sacrum cerebrum percutit,  
 Inde effluit largus cruor,  
 Qui candidum corpus rigat.  
 At auream quidam ſolent  
 Gestare, & una haud ſufficit,  
 Gemmasq; quas fert India  
 Duces ſuperbi reſpuunt,  
 Pedes beatos & manus,

Quæ

Quæ condiderunt omnia,  
 Clavi tenaces ferrei  
 Fodere ſevo vulnere.  
 Nos annulis pulchris manus  
 Habemus & gemmis graves,  
 Et calcei exornant pedes  
 Vel aurei vel ſerici.  
 Mitiffimus patrem rogat  
 Crimen ſcelestis parcere,  
 Cùm neſciant quid tunc agant  
 Stulti, atq; cæci, & perdit.  
 Odijs at immortalibus  
 Noſtris nocere proximis  
 Studemus, & ſi poſſimus  
 Necare, fit libentius.  
 Potum petit, qui ſcilicet  
 Noſtra ſalutis eſt ſitis.  
 Verùm illi aceti acerrimi  
 Plenã exhibent huic ſpongiã.  
 At nos cibos lautiffimos  
 Dulcis Lyæi munera,  
 Semperq; delicias novas  
 Faſtidioſi querimus.  
 Videmus ipſum deniq;  
 Poſt dura tot, poſt aſpera  
 Tormenta, ſacrum fundere  
 Patri ſupremo ſpiritum.  
 Eheu ferum ſpectaculum,  
 Eheu ſcelus plus quàm impium:  
 Hoc ſuſtinere neminem,  
 Qui cor habet poſſe arbitror.

Inter

Inter dolores maximos,  
 Gravesq; pœnas cernimus,  
 Nostrum emori Regem & Deū,  
 Pro pessimis puram hostiam.  
 Quid cogitamus vivere?  
 Est vita nostra mortua,  
 Speramus absq; hac vivere  
 Devota morti pectora?  
 Et somnare dulcia,  
 Fastusq; opesq; pergimus,  
 Versarier nec nos pudet  
 Inter rosas & lilia?  
 Ferocis hasta militis  
 Post perforat sanctum latus,  
 Emanat unde sanguinis,  
 Lymphæq; rivus mystica.  
 At vulnerare mortuos  
 Habetur omninò nefas:  
 Sed ira semper maxima  
 Peccare cogit maximè.  
 Sol splendidum celat iubar,  
 Tellus movetur, & petre  
 Scinduntur, ac tota ingemit  
 Natura factorem suum.  
 At Christiani, nomine  
 Qui Christiani sunt tenus,  
 Rident, cachinnant, vel magis  
 Credunt ut impij nihil.  
 Sed rideant, quantum volunt  
 (Quamvis mihi non hoc placet)  
 In fletibus me, & luctibus  
 Adesse

Adesse iugiter iuvat:  
 Pectusq; tundere improbum,  
 Comasq; canas vellere  
 Barbamq; cum ista cogito,  
 Quod facere semper debeo.  
 Iudeus impius gemit,  
 Tu Christianus optimus  
 Non flebis? hoc cor iudico  
 Saxo atq; ferro durius.  
 Non improbo risum tamen,  
 Cum cogitamus que bona,  
 Crux ista nobis attulit,  
 Delevit & que crimina,  
 Sed rectius fiet reor,  
 Quando illa magna gaudia  
 CHRITI excitati à mortuis  
 Lati & beati habebimus.  
 Ridere tum, tum plurimum  
 Gestireq; & letarier  
 Decebit, at quonam modo  
 Seguenta dicam carmine.

INFESTVM DIEM  
 QVO CHRISTVS A  
 mortuis est excitatus.

Nunc. ô sodales pectore  
 Et corde toto, & viribus  
 Est gestiendum, nunc pede  
 Pulsanda tellus libero.  
 Antehac nefas dum perfidus  
 Terrebat hostis nos suis

E 3

Minis

Minis, & artibus malis,  
 Quæis penè nos extinxerat.  
 Retorta tergo brachia  
 Premebat, & colla asperis  
 Revincta vinclis, splendidum  
 Iam iam triumphū somnians.  
 Sed ecce Christus maximus,  
 Gaudere non sinit diu  
 Hostem ferum, fidelibus  
 Negare nec potest opem:  
 Descendit ad regna infera  
 Plutonis atri, qui regit  
 Stellantem olympum, tartara  
 Expugnat, atq; dissipat.  
 Ligat, soluti qui tum erant,  
 Solvit ligatos, & iubet  
 Claram sequi victoriam,  
 Ducisq; magni gloriam.  
 Iò triumphe, haud aureos  
 Currus moraris, haud boves:  
 Hæc sunt minora & omnia,  
 Meritis suis ingentibus.  
 Iò triumphe, non parem  
 Mortalibus quidem ducem  
 Tecum reportas, sed Dei  
 Aeterni, & alti filium.  
 At tu tyranne dic modò,  
 Vbi illa nunc superbia?  
 Vbi illa nunc potentia?  
 Amissa cuncta sunt miser.  
 Desse vicem miserrime.

Tuam

Tuam tyranne, tartare  
 Fac semper infelix gemas;  
 Extinctus es nam funditus.  
 Et tu quoq; o mors mortua es,  
 Vis illa perdita est tua,  
 Vbi est acerbus dic tuus  
 Morsus? proterva nil nocet.  
 Immò adiuvat mirum in modum,  
 Nos namq; coniungit Deo,  
 Fruig; dat cælestibus  
 Donis, & altis premijs.  
 Spes nostra, Christus Optimus,  
 Et vita vera, mortuis  
 Est excitatus, en redit,  
 En quanta nobis fert bona.  
 Est expedita semita,  
 Quæ ducit astra ad lucida,  
 Aperta nobis ianua est,  
 Quæ clausa nuper extitit.  
 Iam nunc tenebra transeunt,  
 Et lux micat clarissima,  
 Iam nocte depulsa gravi,  
 Serena cernitur dies.  
 Hæc est dies sanctissima,  
 Quam fecit excelsus Deus,  
 Letemur omnes & sacrâ  
 Canamus usq; canticâ.  
 Hæc est dies letissima,  
 Quæ triste nil, mestivæ habet,  
 Sint cuncta, mesta & tristia,  
 Amara sint cuncta hinc præcul.

Letemur



Latemur omnes, attamen  
 Eo modo, quo precipit  
 Cælestium Rex, & Pater,  
 Quiq; est ei gratissimus.  
 Culpa, & scelus recedite  
 Litesq; dira, & iurgia,  
 Rixa male, & discordie,  
 Auri sitisq; pessima.  
 Veni beata spes, Fides  
 Veni alma, tecumq; adferas  
 Dei facem, qua pectora  
 Divino amore compleat.  
 Tecum simul pax aurea,  
 Rara adsit & concordia,  
 Sit leta largitas quoq;  
 Cunctusq; virtutum chorus.  
 Sic ritè, sic rectè diem  
 Celebrabimus festum, D E V S  
 Sic nos amabit, & pia  
 Augebit usq; gaudia.

IN FESTVM DIEM,  
 QVO CHRISTVS IN  
 cœlum ascendit.

Quis iste Rex est inclytus,  
 Qui sic decorus cernitur  
 Ad astra summa ascendere,  
 Quis est, rogamus dicite?  
 Hic ille Rex est gloria,  
 Christus beati, & maximi.

Dei

Dei beatus filius,  
 Et maximus Deus quoq;  
 Qui dissipatis omnibus  
 Suis iniquis hostibus,  
 Et morte seua mortua,  
 Truciq; victo Tartaro  
 Cunctis peractis, qua Pater  
 Mandavit æternus, redit  
 Nunc victor alta ad æthera  
 Claro triumpho nobilis.  
 Iò triumphe dicite,  
 Iò triumphe, non semel:  
 O magna & alma gaudia,  
 O Christe Rex salve inclyte:  
 O quàm beatorum chorus  
 Exultat in cælo, & canit  
 Laudes & hymnos dulciter,  
 Quæis totus impletur polus.  
 O quàm Pater sanctissimus  
 Latatur, ô qua filio  
 Carissimo dat munera,  
 Quæ verba loquitur suavia.  
 Ad dexteram dulcissime  
 Fili sedebis hanc meam,  
 Hoc iure convenit tibi,  
 Quod sanguine es meritus tuo.  
 Hic tu sedebis tam diu,  
 Donec tuorum funditus  
 Eversa sit superbia,  
 Caputq; contusum hostium.  
 Tibi potestas est data.

Cælesti-

Cælestium, terrestrium,  
 Et inferorum, & omnium,  
 Tu cuncta dispone & rege.  
 Ecclesia, quam sanguine  
 Lucratus es purissimo  
 Præsis, licet te corporis  
 Oculis videre non queat.  
 At quum dies advenerit,  
 Suprema quâ facta omnium  
 Es judicaturus, tuam  
 Omnes videbunt gloriam.  
 Apertè eo, quo nunc modo  
 Videre te hûc ascendere.  
 Apostoli cari tui,  
 Testes tui fidiissimi.  
 Iò triumphæ, dicimus  
 Iò triumphæ, ducimus  
 Lati hunc triumphalem diem,  
 Ne sit dolori dein locus:  
 Sed semper adsint gaudia,  
 Semper canora carmina,  
 Semper decora cantica  
 Canamus aeterno Deo.  
 O CHRISTE REX Ecclesiam  
 Tuam benignè respice,  
 Medere plagis & malis,  
 Quæ tanta habet, tamq̃ aspera.  
 Discordias radicitus  
 Evelle, pravag̃ insuper  
 Disperde cuncta dogmata,  
 Et bella tot crudelia.

Omnes

Omnes ut uno pectore  
 Animoq̃ concordés tuum  
 Numen colamus, ut pios  
 Verosq̃ cultores decet.  
 Vt quum dies advenerit  
 Tremendus ille, & horridus,  
 Quo tu redibis hûc ferens  
 Bonis malisq̃ præmia.  
 Quum gloriam cuncti tuam  
 Videbimus palàm, & eorum  
 Vnâ Angelorum, & omnium  
 Sanctum tuorum exercitum.  
 Quum judicabis omnium  
 Facta atq̃ dicta, & intimi  
 Arcana cordis, postea.  
 Iterum redibis ad Patrem:  
 Te subsequamur, ac tuum  
 Lati triumphum, & sæcula  
 Regnemus aeterna, & tua  
 Fruamur usq̃ gloria.

### IN DIEM PENTE- COSTES.

Nunc spiritus sanctissime,  
 Nunc cordibus nostris favens  
 Illabere, & cunctas lava  
 Sordes, & atra crimina.  
 Hysopus adsit efficax,  
 Quæ candidos nos ad nivis  
 Instar faciat, adhuc magis  
 Omnino & intus in cutè.

Tuumq̃

Tuumq; lumen splendidum,  
 Illuceat cacas super  
 Mortalium mentes, ita  
 Omnes tenebras dissipet.  
 Accende fervidam facem,  
 Beate & alme spiritus,  
 In cordibus nostris tuam,  
 Qua dormientes excitet.  
 Amoris ignis ardeat  
 Caelestis in nobis, potens  
 Cremare nostra pectora,  
 Et in favillam vertere.  
 Vivacior fiat magis,  
 Magisq; flamma istac, dies  
 In singulos, dum sordidum  
 Restet nihil, nec criminum.  
 Discordias cunctas procul  
 Hinc amove, & lites malas,  
 Cunctasq; pravas haereses,  
 Et bella saeva & horrida.  
 Pacem tuam, & concordiam  
 Largire, sancte spiritus,  
 Sit una mens, sit omnium  
 Concors voluntas cordium.  
 Sordeat orbis hic simul  
 Suis cum opibus, & gloria  
 Nobis, placeat at maximi  
 Regnum Dei tantum modo.  
 Curemus esse pauperes  
 Mundi bonorum perfidi,  
 Caelestium sed divites,

Nitamur

Nitamur esse strenue.  
 Beate & alme spiritus,  
 Tu tanta dona praebeas,  
 Sanctissimum lumen tuum  
 Nos dirigat rectam in viam.  
 Hac munera in nobis manu  
 Largâ benignè adaugeas,  
 Ditissimo tuo è penu  
 Et fonte totius boni.  
 Et me, precor, pauperrimum,  
 Bonorum egenumq; omnium,  
 Doce modum, quo sim tua  
 Dives capaxq; gratia.  
 Sunt clausa nostra lumina,  
 Fœdissimo & turpi simio,  
 Spectare caelum, ut non queam  
 Nec lucidum solis iubar.  
 Hac tu beate spiritus,  
 Aperi tuo sanctissimo  
 Favore, possim ut aetheris  
 Lucem intueri postea.  
 Occlusæ aures mi sonus,  
 Molestus admodum & gravis,  
 Audire sic ut non potis  
 Sim, quæ salutem nunciant.  
 Sed audio libens nimis  
 Nugas, merasq; fabulas:  
 Meæ ruina est maxima  
 Causa hæc, malorumq; unica.  
 Has expeditas fac, rogo  
 Tu spiritus sanctissime,

F

Vt

Vt audiam solum mihi  
 Vitam & salutem, quae adferunt.  
 Ne spiritus sanctissime  
 Me deseras oro, tuis  
 Ne praeda, risusque hostibus  
 Sim, quae perire me expetunt.

AD DEVM OPTIMUM  
 MAXIMUM.

o magne caelorum Pater,  
 Qui sole candidum diem,  
 Noctemque claris ignibus  
 Ornas, & alma Cynthia.  
 Tu lucidum implem aethera,  
 Pennis decoris alitum  
 Latè volantium, simul  
 Candentibusque nubibus.  
 Tu veste tellurem induis  
 virente, deinde lilijs,  
 Violis, odoratis rosis,  
 Cunctisque blandis floribus.  
 Tu fructuum omne das genus,  
 Frugesque, baccasque arboris  
 Casta Minerva, & fervida  
 Grauis Lyai munera.  
 Tu pascis in silvis feras,  
 Pecusque in amplis pascuis,  
 Et omnibus praebes cibum  
 In copia, ut desit nihil.  
 Immania equis nam mari  
 Cete horrida? equis nam dedit  
 Pisces

Pisces natantes, quos nequis  
 Humana lingua effariet?  
 Quis temperat rerum vices,  
 Mutatque tempora, & status?  
 Quis ut caput Sol exerat,  
 Mox mergat in praecipua aquas?  
 Quis nunc, citi ut properent dies  
 Cervo ocyus & Africo,  
 Mox tardius cancris eant  
 Inerte vel testudine?  
 Dic unde sentiat suum  
 Aestas calorem torrida,  
 Autumnus unde proferat  
 Tot poma nobis dulcia?  
 Informis unde die hyems  
 Gelu, nivesque comparat,  
 Vel unde post appareat  
 Vel floribus nitens comis?  
 Unde exeant origines  
 Tot fontium, tot fluminum,  
 Unde excitentur fulgura,  
 Pluvia unde, venti, ros, nives?  
 Unde accidat terris tremor,  
 Cur evomant saxa, & faces,  
 Spectentur & cur aethere  
 Cometae & ignita trabes?  
 Perfecit istaec omnia  
 Prudenter, & rectè nimis,  
 o maxime artifex, tua  
 Sublimis & potens manus.  
 Sed omnium rerum optimum  
 Hominem!

Hominem creasti scilicet,  
Posset tuam qui imaginem  
Suo referre spiritu.  
Huic dedisti in omnia  
Regnum creata, seu pecus  
Terra, aeris sive alites,  
Sive aequoris mutum genus.  
Servire iussisti hac ei,  
Illum esse prorsus liberum,  
Tantum beata sedulo  
Præcepta servaret tua.  
Verum ille servavit parum,  
Aut nil, sed indies magis,  
Magisq; factus contumax  
Te sprevit, atq; respuit.  
Ingratus, infelix homo,  
Sic perdidit regnum miser,  
Factusq; cunctis subditus,  
Cui subdita illa erant prius.  
Hostibusq; captivus suis  
Pœnas luit gravissimas,  
Quàm jure plecteris miser,  
Ingrate, & infelix homo?  
Cum cuncta magni pareant  
Iussis Dei iustissimis,  
Sol, Luna, cœli, aer vagus,  
Vis ignea, & tellus, aqua.  
Cum bruta, saxa, & arbores,  
Cum deniq; ipsa tartara  
Non respuant iussum Dei,  
Illi sed ultrò serviant.

Quæ

376  
Quæ prava te dementia  
Subvertit, infelix homo,  
Ut omnium solus Dei  
Parere iussis negligas?  
Sed nec modo istud, sit licet  
Sat impium, scelus facis,  
Movere bellum non times  
Regi usq; maximo Deum.  
Ipsamq; vexas iugiter,  
Et provocas cessantem, ut  
Iratu inde se viat,  
Et dissipet te fulmine.  
Sed omnium ingratisimus,  
Et pessimus profecto ego,  
Qui provoco mitem Patrem,  
Ut semper in me se viat.  
Nam nemini mortalium  
Plus ille donorum dedit,  
Et gratiarum, quam mihi,  
Minusq; nemini mali.  
Hoc esse quam verissimum  
Audacter, & palam omnibus  
Dico, nihilq; mentior,  
Verè omnium ingratisimus.  
Sed quid nam agam? num debeo  
De maxima clementia  
Sperare nil patris p̄i,  
Qui & plurimum me diligit?  
Sperare nunquam desinam,  
Non si mihi stet proximum  
Lethum,

F 2

Lethum,

Lethum, metusq̄, angustia,  
 Ac cetera insuper mala.  
 Sustentat hac, & me beat.  
 Planè una spes, nec ampliùs  
 Quæro quid, aut opto, unica.  
 Hac spes abundè sufficit.  
 Hac sapiùs me perditum ex  
 Orci reducit faucibus,  
 Mentemq̄ percussam erigit,  
 Ac collocat summo in polo.  
 Illi, adesse nos velis.  
 Semper, benigne, & optime  
 Cælestium Rex, & Pater,  
 Fruamur ut te iugiter?

**DELIBERAT** quale  
 sequi debeat vitæ  
 institutum.

Qua nam sequenda sit via,  
 Ostende devio mihi,  
 Quæ me impeditum nexibus  
 Tot, atq̄, penis explicet,  
 Beate cælitum Pater:  
 Mentem vagam quæ deniq̄  
 Sistat, viarumq̄, & maris  
 Lasso quietem prebeat.  
 An persequamur cacas opes,  
 Studet quibus pars maxima:  
 Mortalium, nec mentiar  
 Fortasse si omnes dixerò?

Sed est quid illis vilium?

Quid vanius? nihil valent:  
 Habentq̄, fellis plurimum,  
 Mellis pusillum, vel nihil.  
 Non aridam levant sitim,  
 Illam magis sed excitant:  
 Sic dirus hydrops plus bibit,  
 Quò plus aqua se expleverit.  
 Martis ferocis impia  
 An bella miles horridus  
 Colam? voluptas hæc fera  
 Sit hostibus precor meis.  
 Heu bella cunctorum caput,  
 Fons, atq̄, origo criminum:  
 Invisa iustis: militet  
 Qui displicere vult Deo.  
 Superba fortè principum  
 Potentiorum limina  
 Teram frequenter, ut parem  
 Opes, honores, gloriam?  
 Verùm parabo certius  
 Delicta, fraudes & dolos,  
 Mille & simul pericula,  
 Certam ruinam denique.  
 Amissa libertas erit,  
 Reperta dura servitus.  
 Aula exeat si quis pius  
 Esse optat, idq̄, protinus:  
 Nam si diu morabitur,  
 Galli canentis audiet.

Sed

Vocem:

Vocem secundam, quam prius  
Ter pernegavit perfidus.  
Quid si trucidis Cupidinis,  
Matrisq; turpis ignibus  
Me dedicabo, si otia  
Amplectar, atq; ineptias?  
Immunda sed sues decent,  
Harere queis luto placet:  
Sublime convenit viris,  
Seni senile aptum decus.  
Numquid Camænis obsequens,  
Bonum quod opto consequar?  
Dant celsa Parnassi iuga  
Iucunda certè premia.  
Sed plena sunt negotiū  
Hæc otiosi premia,  
Etsi exhibent curas leves:  
Curæ tamen sunt improba.  
Semper novis laboribus  
Novos labores adferunt:  
Nunquam sinunt quiescere,  
Rarog; captis annuunt.  
Fis pabulum invidis miser,  
Quod dente sevi livido  
Lacerent, vorentq; suaviter,  
Hoc premium doctis datur.  
Ergo quid insuper mihi  
Restat sequendum, si mala,  
Si incerta sunt, si turpia,  
Periculosaq; omnia?  
Divina sed non talia.

Sunt;

40.  
Sunt, quippe longè ibi omnia  
Et optima, & certissima,  
Pulcherrima, & tutissima.  
Gemmas & aurum despice,  
Contemne dira prælia,  
Aulas, Cupidinem, & novens  
Deas, severa & ludicra.  
Superna tantum suscipe,  
Et mente tota, & pectore  
Huc tende, spes omnes tuas  
Hic fige, curas, gaudia.  
Sic letus hic perages dies,  
Sic letior cælum petes,  
Illicq; vives, nam hic quidem  
Non vivus es, sed mortuus.

## VANITAS vanitatū & omnia vanitas.

O vanitatum vanitas,  
Terrena cuncta perfida,  
Mundana cuncta sordida,  
O vanitatum vanitas.  
Quid vos habetis, dicite,  
Dulcis, boni vel commodi,  
Pulchri quid, aut qd candidi,  
Quid aut sereni, aut splendidi?  
Nil: verum amara & acria,  
Et dura valde, & ardua.  
Cuncta, & mala, atq; incommo-  
Et turpia, atra, nubila. (da,

F 3

Sunt.

Sunt mella vestra, toxica,  
 Pax vestra praelium est merū,  
 Est dedecus, vestrum decus,  
 Sunt dira, paupertas, opes.  
 O finiens nunquam dolor,  
 O pœna permanens diu,  
 O gaudium brevissimum,  
 Et O voluptas lubrica.  
 Sunt vestra damna ingentia,  
 At lucra nulla, aut parvula,  
 Est debilis potentia,  
 Infirmitas satis potens.  
 Incerta spes & languida,  
 Verum metus certissimus,  
 Securitas falsissima,  
 Certissimum periculum.  
 Vestros amantes perditis,  
 Servatis hostes, vos probis  
 Estis gravia, sed improbis  
 Vultum benignum ostenditis.  
 O vanitatum vanitas,  
 Terrena cuncta noxia,  
 Mundana cuncta pessima,  
 O vanitatum vanitas,  
 Sed sint licet vanissima,  
 Acerba cuncta sint, tamen  
 Qui diligant te plurimum,  
 O munde habes quam plurimos.  
 Quid cæci & insciji juvat,  
 Tam perfidum hoste vos sequi?  
 Quod

Quod premium, quam gloria  
 Speratis inde? dicite.  
 Est premium flamma, & dolor  
 Aeternus, eterna est simul  
 Pro gloria confusio,  
 Infamia ingens & probrum.  
 Hac persequi tamen placet,  
 Hac expetuntur unice,  
 Ruina vestra, & dedecus  
 Delectat heu vos perditos.  
 O perditis, & quur nam bona  
 Immensa, quur & gaudia  
 Aeterna, firma, maxima,  
 Divina, parvi penditis?  
 Quur ut sues fœdissimi  
 Immundo inhaeritis luto?  
 Oculosq; pressos quur piget  
 Ad sidera alta tollere?  
 Quid mentibus dementibus  
 Dignum imprecer? pœnae satis  
 Vobis datis, nec aspera  
 Hac indiget pœna altera.  
 Iam fertis æquum premium  
 Insania vestra, heu scelus,  
 Sic vos lubentes curritis  
 Ad vestra damna, & ad necē.  
 O vanitatum vanitas.  
 O misera terrena omnia,  
 O umbra mundana omnia,  
 O vanitatum vanitas.

AD



AD Deum Opt. Max.

Quam saeviunt truces mei  
Hostes, Pater sanctissime,  
Struuntq; contra me suas  
Artes, dolos & copias?  
Ego interim quid recte agam  
Imbellis, ac firmus parum,  
Desertus omnibus bonis,  
Malis abundans omnibus?  
Tantum reflecto ad te mea,  
Pater benigne, lumina,  
Squalore pressa sordido,  
Videre quae nihil queunt.  
Misi ut olim nuntium,  
Sordes ut omnes visui  
Abstergeret Pauli, mei  
Sic terge vultus lumina.  
Sordes ut omnes excidant,  
Purusq; reddar, & sciens,  
Cavere possim ut omnia  
Quae cogitant hostes mei.  
Atque ille sicut postea  
Fortissimus sumpto cibo  
Effectus est, ut praeliis  
Invictus esset signifer:  
Sic me, Deus, caelestibus  
Pascas cibus, ut hostibus  
Adpaream terror meis,  
Cunctosq; perdam funditus.  
Iuste trophaum nobile

Tibi,

Tibi, Pater, post erigam,  
Has literas grandes habens,  
Ut aspici longè queant.  
Haec gloria est, Deus, tua,  
Non est mearum virium,  
Vires dedisti tu mihi,  
Hostes quibus pessundedi.  
Perire jure debui,  
Si sisus essem viribus  
Aegris meis & languidis,  
Aptissimis ut vincerer.  
Iò triumphe, vicimus,  
Iò triumphe, non semel  
Dicemus, ecce debitas  
Pœnas miserrimi luunt.  
Deus meus, fortissimum  
Me reddidisti, qui prius  
Sic debilis, vilisq; eram  
Præda, atq; lusus hostibus,  
Verum licet victoria  
Sit clara valde, & nobilis,  
Tamen cavendum, ne mali  
Rursus parent quid perfidi.  
Rogamus ergo te, Deus,  
Fulci tuo me brachio,  
In posterum ne ledere  
Me, nec queant laceffere:  
Incautus ut nec opprimar,  
Fac me paratum, & sobrium,  
Ne dormiam, sed sim vigil,  
Et usq; forti pectore.

Et

*Vt cū dies adveneris  
Ille ultimus, Pater pie,  
Ornes corona lucida,  
Et regia meum caput.*

## AD Deum Patrem.

*Peccavimus multū, & diu,  
Quod sepius dixi, Pater,  
Iterumq; dico nunc gemens,  
Peccavimus, peccavimus.  
Quid tum? novi ne fecimus  
Forsasse quid? meum hoc, meū  
Proprium est, simul tu fac tuū  
Proprium, Pater mitissime.  
Peccare proprium opus meum est,  
Proprium tuum usq; parcere:  
Ergo precamur, optime,  
Fac quod tuū est, & quod soles.  
Ferire naturā datur  
Tauris recurvis cornibus:  
Leonibus ferocibus,  
Lupisq; sevis dentibus.  
Minnire concessum est equis,  
Et verberare calcibus:  
Volant aves per aethera,  
Pisces natant in equore.  
Peccare naturā mihi,  
Misero datū est tantummodò:  
Peccare, nec, prater malū hoc,  
Quidquam miserrimus scio.*

Est

*Est instum tibi, Pater  
Aeterne, naturā omnibus  
Prodesse largē, & parcere,  
Nocere certē nemini.  
Ad te redit nunc filius,  
Qui devoravit omnia,  
Qua tu dedisti, turpiter  
Cum sordidis scortis miser.  
Ignosce clementissime  
Pater, fatenti filio  
Crimen scelusq; maximum,  
Quod scelera vincit omnia.  
Natis patres ignoscere  
Solent suis, nunc filiis  
Tuis negabis tu, Pater,  
Solut benignē ignoscere?  
Illi at patres sunt scilicet  
Terreni & improbi, decet  
Hoc celitum magis patrem,  
Qui est unicus verus Pater.  
An quæris ut mali patres  
Clementiam vincant tuam?  
Prohibe hoc, Pater, nec improbi  
Vincant patres Patrem optimū.  
Fac quod soles, & quod tuum est,  
Clementer ignosce & fave,  
Effunde larga flumina  
Larga & perennis gratia.  
Nescis, Pater, tu irascier,  
Est ira namq; incognita*

Tibi

Tibi, sed est clementia  
Et grata multum & cognita.  
Es omnibus clarus nitor  
Virtutibus, magis tamen  
Clementiâ præclarus es,  
Hæc prima te exornat, Pater.  
Iactare mortales solent,  
Habere virtutes suas,  
Clementia attamen, Pater,  
Soli relinquitur tibi.  
Tu diceris clemens, Pater  
Tu diceris solus, neque  
Mortalium ulli convenit,  
Nisi hoc adulans dixerit.  
Clementiâ mecum utere  
Istac precor, clementiam  
Ostende perdito malè,  
Pater benigne, filio.  
Es Dominus, es Rex, es Deus,  
Cæli atq; mundi conditor,  
Es & Pater, quo nomine,  
Cunctis relictis iugiter  
Posthac vocabo, mi Pater,  
Pater beate & optime,  
Ostende filiis tuis  
Clementiam, Pater, tuam.  
Pater benigne, supplices  
Oramus, hoc ut ne neges,  
Ne filiis neges tuis  
Clementiam tuam, Pater.

VITAM

440  
VITAM nostram ef-  
se miserrimam.

Heu vita plena maximis  
Fastidiis, curis, dolis,  
Laboribus, molestiis,  
Ac deniq; omnibus malis.  
Quis te miserrimus potest  
Diligere? quis te non queat,  
Quàm sis amara noscere,  
Quàm vana, falsa, perfida?  
Qui nescit hoc, inde accidit,  
Quòd agra mens, & saucia  
Valde est ei, ut non sit potis  
Bonum, aut malum discernere.  
Sic cui palatus sit valens,  
Iam cuncta rectè iudicat,  
Hoc dulce, amarum illud, sapit  
Hoc, at sapore illud caret.  
Sic nostra mens, si noxios  
Expellat errores, statim  
Bonum, malumq; iam valet,  
Verum atq; falsum cernere.  
Quum simus ergo obnoxii  
Fallaciis mundi improbi,  
Qui possumus distinguere  
Quæ vera bona, qua sint secus?  
Quum tota nostra intentio,  
Et tota cogitatio  
Nil curet, & spectet, nisi  
Fastus, & opes, & gloriam.

G

Terrena

Terrena solum quærimus,  
 Mundana tantum amplectimur,  
 Hac sequimur nocte & die,  
 Sunt denique hæc nobis decus.  
 Cælestium at rerum sumus  
 Obliti, & usque nescii,  
 Nec scire quidquam (pro pudor)  
 Curamus, ut res ludicras.  
 Terrena igitur hæc, quæ anxie  
 Optamus adeo, nos quoque  
 Sequentur, at cælestia  
 Speremus haud unquam adsequi.  
 Qui nam adsequi illa possumus,  
 Non cognita unquam, & quæis nihil  
 Vacavimus? scit quilibet  
 Quam discit artem attentius.  
 Qui ignorat, is merito quidem  
 Vicissim & ignorabitur,  
 Certissima hæc est regula,  
 Poterit nec unquam fallere.  
 Divina si ergo munera  
 Optamus adsequi, decet  
 Vacare semper graviter  
 In his, relictis cæteris.  
 Nam cum sciemus formulas  
 Doctrina eorum, postea  
 Docti erimus, & nostri quoque  
 Voti erimus usque compotes.  
 Sed tu, Pater sanctissime,  
 Concede vires, nam nisi  
 Concesse-

Concesseris, frustra quidem  
 Id consequi speravimus.

## AD Deum Opt. Max.

Rex cælitum, Pater potens,  
 Mæstis qui es fidissimus,  
 Dator bonorumque omnium,  
 Omnisque vera gratie.  
 Mentem meam quæ fluctibus,  
 Ventisque penè mergitur,  
 Fulcire digneris manu  
 Tua, & potenti brachio:  
 Ut olim in undis naufragum  
 Petrum, è periculis liberum  
 Fecisti, eodem me modo  
 Fac expeditum & liberum.  
 Multas gravesque sensimus  
 Molestias, angustias,  
 Fallacias, minas, dolos,  
 Pœnas, dolores maximos.  
 Quare satis superque sit:  
 Nam quæ dedisti, pertulisti  
 In victo & alto pectore,  
 Ut strenui solent viri.  
 Sed si sequantur, ambigo  
 Multum, queam ne perpeti,  
 Ne forte multum sarcinam  
 Gravata demum corruat.  
 Vides, Pater ter maxime,  
 Quot tela sevi præparent,  
 Hostes

Hostes, dolos, ac retia,  
Vt implicatus occidam.  
Fidelis es Deus tamen,  
Veraxq̄, nec tuos sinis  
Vexarier servos, super  
Perferre quàm vires queant.  
Ergo mea da pondera  
Qua sint ferenda sarcina,  
Ne pressus occumbam, & mei  
Hostes acerbi gaudeant.

AD Deū in angustiis.  
Anacreont.

Fac cœlitum precamur,  
Fac alte Rex, paterq̄,  
Finem meo dolori  
Tandem, molestiisq̄.  
Est sarcina hæc profectò  
Gravis satis, superq̄.  
Finis rogamus adsit,  
O Rex Paterq̄ clemens,  
Me torquet hoc acerbè  
Sævum diu flagellum.  
Vires onus recusant  
Perferre iam deinceps.  
Oramus adsit, alme  
Pater, Deusq̄, finis  
Tandem, meus ne iniquus  
Hostis triumphet inde,  
De me tuo, licet sim

Indignus,

46.  
Indignus, improbusq̄,  
Sed sum tamen tuus, sum  
Et dextera beata  
Opus tua pusillum.

AD seipsum ut resipi-  
scat. Anac.

Quid cogitas miselle?  
Quos excitas tumultus?  
Cessare tempus esset  
A tot malis nefandis,  
A turpibusq̄, culpis,  
Et pœnitere tandem,  
Ac seriò vetustos  
Mores relinquere omnes,  
Vestire teq̄, vestem  
Pulchram novamq̄, Regem  
Adire sic tremendum,  
Post ut queas nec ullos  
Hostes tuos vereri,  
Qui te obsident premuntq̄,  
Spirare teq̄, nunquam  
Vsquam sinunt misellum.

CONFItetur se non  
obtemperasse Deo vo-  
canti. Anac.

Cœli Pater beate,  
Quàm sepe tu volebas?

G 2

Quàm

Quàm saepius vocabas,  
 Vt omnibus relictis  
 Nugis, malisq; culpis,  
 Ad te miser venirem.  
 Et nunc modò benignis,  
 Vt blandiendo amatos  
 Gnatos solent parentes,  
 Me nescium vocabas,  
 Nunc asperis minando,  
 Vt improbos parentes  
 Gnatos solent, trahebas :  
 Frustra tamen sed isthac,  
 O caelitem Pater, nam  
 Natura prava, & ipsa  
 Delicta nostra magna,  
 Audire non sinebant  
 Vocem manumq; & aures.  
 Verè tuas paternas.  
 Et sic magis, magisq;  
 Obdurui scelestus.

**NON** moveri se hu-  
 jus mundi rebus, sed re-  
 rum coelestium contem-  
 platione. Anac.

Me non movent superbi  
 Fastusq;, opesq; Regum :  
 Me non movent triumpho,  
 Pompeq;, nec trophaea.

Non

Non miror ipse gemmas,  
 Aurum nec ipse curo,  
 Nec diligo, nec unquam  
 Post diligam vel hilum.  
 Quur hac pusilla mirer ?  
 Quur hac pusilla curem ?  
 Sed me movet supremi  
 Magni Deiq; virtus,  
 Et maxima illius vis,  
 Ingens quoq; & potestas,  
 Qua condidit polos, &  
 Terram, mare, atq; cuncta.  
 Hoc astra mi loquuntur,  
 Quae sic decora splendent :  
 Hoc concinunt canora  
 In aethere & volucres :  
 Pisces & hoc in alto,  
 In saltibus feraq; :  
 Hoc bruta cuncta clamant,  
 Hoc arbores, & herbae :  
 Hoc praedicant & alti  
 Montes, aqua & fluenta.  
 Hoc tu stupens, tremensq;  
 Mirare semper, unquam  
 Nec praedicare cesses.

**NISI ADSIT RATIO,**  
**HOMO EST INFERIO-**  
**OR CAETERIS ANIMAN-**  
**TIBUS.**

Quid

Quid erigis cristas homo,

Quâ gloriâ tantum tumes,  
Terra, & cinis vilissime,  
Cunctisq; brutis vilior?

Robur Leonis quis potest, LEO.  
Mortalium unquam consequi?  
Sit Hercule ipso fortior,  
Est fortior tamen Leo.

Serpente quis vivacior, SERPENS.  
Aut corvo? erit vel Nestoris  
Aetas brevis, si compares, CORVVS.  
Huiusq; & illorum dies.

Velocitatem quis Canis CANIS.  
Habebit, aut Cervi aut Apri? CERV.  
Vel omnium ferè aère, APER.  
Terrâ, vel undâ extantium.

Pavi decori nobili PAVO.  
Coguntur omnes cedere,  
Venus sit ipsa, vincitur,  
Victamq; se ultrò proferet.

Oloris aut suavis tuæ CYGNVS.  
Philomela voci quis parem, PHILO.  
Iactare quit mortalium (MELA.  
Habere? credo neminem.

Astutiâ vulpecula VVLPE S.  
Vincit reliqua animantia,  
Præsertim anus quod indicat  
Proverbium nimis vetus.

Formica quis prudentiam, FORMICA.  
Tuam valebit eloqui?  
Pusilla quæ cum sis, tamen  
Vincis catos, & maximos.

Quis sedule dicat modos  
Miros apis, quis ordines APIS.  
Rectos? neq; ista perspicis  
Platonis in Republica.

Quis

Quis mente pura præditus

Erit capelle simplicis? OVIS.

Quis aut Aselli vel Bovis? ASINVS.

Non me pudebit de his loqui. BOS.

At castitatem Turturis TVR TVR.

Quis laudibus dignè efferat?

Cum femina nostra audeant

Suos maritos perdere.

Pietas Ciconia in suos CICONIA.

Nota est parentes, cum viri

Suos veneno, vel dolis

Solent parentes tollere.

Sed facta cuncta quis loqui

Præclara brutorum queat?

Præstat silere, quàm parum

Miraculorum dicere.

Ignave verum dic tu homo

Quis dotibus, quis artibus,

Iactare te audes? num vides

Te destitutum ab omnibus?

Ratio una te ornat, omnium

Regnumq; concedit tibi

Animantium: si hanc non habes

Fis ultimus iure omnium.

Ergò carere ne velis,

Hæc singulari gloriâ,

Quæ te æquat ipsis angelis,

Atq; efficit planè DEVM.

Hanc sedulo cura, hanc cole,

Hanc artibus cunctis tuis

Fac iudicem, quæ te regat

Exornet, & verè beet.

Postremus ut ne sis cave

Animantium omnium miser,

Et ne dolens, gemensq; eas,

Quod peius est, ad tartara.

G 3

AD

AD CHRISTVM  
SERVATOREM.

Da, CHRISTE, pectore meo  
Tam frigido, tam languido,  
Sacri calorem spiritus,  
Ut igne totus ferveam.  
Est marmore illud durius,  
Et omnibus feris magis  
Crudum, ferumq̄, sed potes  
Molle, atq̄, dulce reddere.  
Orna penu ditissimo,  
Cælestibusq̄, dotibus,  
Pauperculum nudum omnibus  
Mentis bonis & corporis.  
Aeger salutem flagito,  
Cæcusq̄, lumen postulo,  
Linguamq̄, mutus deprecor,  
Da dexteram, labor, miser.  
Sum surdus audiam rogo,  
Nam possumus nihil sine  
Te CHriste magni, quod bonū  
Sit, aut salutare exequi.  
Sed possumus satis mali  
Erroris atq̄, plurimum:  
In hoc meas valentior  
Viresq̄, roburq̄, expleo.  
Ex igne quis frigus petat?  
Quis rursus & flammā è gelu?  
A te petenda sunt bona,  
Qui solus es verè bonus.  
Id quod meum est ergo dabo

Malum,

Malum, scelusq̄, scilicet:  
Istis miser ditissimus  
Satis superq̄, clareo.  
Turpissimus sed sim licet,  
Et omnium vel maxime  
Scelestus, haud cesso tamen  
Confidere in te Altissime.  
Davidis improbum scelus  
Odere cuncti, sed Deus  
Dixit virum invenisse se,  
Qui maxime placeat sibi.  
Petrus negavit nec semel  
Te, CHRISTE, nunc beatior  
Quis extat illo? quis tibi  
Est carior? num res latet?  
Tantum, inquit, hoc latro in Cru-  
Erroribus meis precor, (ce  
O CHSISTE parce: tu pius  
Qua verba profers dulcia?  
Sperare semper me iuvat,  
Donec manebit spiritus,  
Sim pravus, & nequissimus,  
Vincam & scelestos ceteros:  
Aeterne CHRISTE, me quoq̄  
Cura tibi esse, & post fore,  
Opusq̄, quod manus tue  
Finxere, nunquam desere.

INCIPIT IAM SE-  
NE SCERE.

Iam



Iam prospera etas praterit,  
 Et robur unâ deficit,  
 Olim quod integrum mihi  
 Erat, satisq; vividum.  
 Iam candida occupant nives  
 Comas nitentes, & simul  
 Barbam decoram, perfluit  
 Ver, iam molesta hyems adest.  
 Non somnus usquam cernitur,  
 Ioci, lepores, & sales  
 Torpent, silentq; frigidi,  
 Nec ulla perstrepat Venus.  
 Absunt venusta gratia,  
 Tristes dolores, ac mala  
 Suspiria adsunt, & graves  
 Cura misellum cor vorant.  
 Quò quò roseus abit color?  
 Et unde macies in meas  
 Sic labitur furtim genas,  
 Oculiq; squallent cur mihi?  
 Artus tremunt, non ambulant  
 Aegri pedes, & munere  
 Non fungitur manus suo,  
 Atq; audiunt aures parùm.  
 Nec mens mihi, nec cor manent,  
 Sensusq; perdit stupent,  
 At una rerum oblivio  
 Nunquam comes me deserit.  
 Oblita mi tot carmina,  
 Oblitaq; totq; gaudia,  
 Tantùm malorum sum memor  
 Vexant

Vexant quia haec me iugiter.  
 Solus, senexq; ab omnibus  
 Relictus, ager, & miser,  
 Invisus omnibus viris,  
 Invisus aequè fæminis.  
 Ergo miser quid cogitas,  
 Vel unde speras, dic, opem?  
 Mortalium nemo potest  
 Præbere, quod sit utile.  
 Quærenda igitur est altera  
 Salutis & vite via,  
 Beatus unde vivere  
 Queas, beatus & mori.  
 Ergo gravata lumina,  
 Ad alta tolle sydera,  
 Iacta preces ad cœlitum  
 Regem, Patremq; maximum  
 Pater beate cœlitum.  
 Da dexteram mihi, precor;  
 Vires labantes sustine,  
 Et adde robur languido.  
 Et tu alme Fili, altissimi  
 Qui & unicus patris tui  
 Semper fuisti Filius,  
 Erisq; semper postea:  
 Roga Patrem qua poscimus,  
 Nobis benignè ut præbeat,  
 Tuaq; causa deleat  
 Errata nostra & crimina.  
 At tu beate spiritus  
 Cordi meo, oro, illabere  
 Ipsumq;

*Ipsūq; ne peccet, rege  
Gressusq; cunctos dirige.  
Vos Tres adoro unum Deum,  
Et ore dico, & pectore:  
Hac nostra sit sententia  
Quam nulla mutant secula.*

**SOLA NITITUR DEI  
MISERICORDIA.**

*Cū scelera cogito mea  
Tam multa tamq; ingentia,  
Tum me miserrimum capit  
Amara desperatio.  
At cū tuam considero  
Benignitatem plurimam,  
Et maximam clementiam,  
Sperare cogimur benè.  
Sic prorsus illud opprimit,  
Sic prorsus hoc nos erigit,  
Sic illud enecat, dat hoc  
Sic vitam, opemq; vividam.  
ut navis alto in gurgite  
Ventis, procellis, fluctibus,  
Et hinc & hinc frementibus,  
Iactata iam demergitur.  
At si serena fulserit  
Lux, aura si spiraverit  
Secunda, cursu prospero  
Iam conficit felix iter:  
Sic ego premente pondere  
Gravi meorum criminum,*

*Iam*

*Iam me, videbam, naufragum  
Lethiq; portam attingere.  
Sed splendidum iubar patris  
Pulsis tenebris omnibus,  
Pecato, & astu pectoris,  
Pacem salutemq; attulit.  
Lumen beatum me incipis  
Beare, perge postea,  
Nec deseras unquam precor  
Captum prius ni expleveris.  
Ut scilicet nil sordidum  
Nihilq; restet amplius  
Noctis, sceleris, & improba  
Antiqui Adami imaginis.  
Sed veste vestitus nova  
Cælestis agni, filij  
Dei benigni, accedere  
Non verear ad summum Pa-  
Iacobus ut fecit suo (trem.  
Cum patre quondam, pellibus  
Indutus, est nactus quibus  
Hæreditatem nobilem.  
Hac veste vestito mihi  
Aeternum adire fas erit  
Patrem, atq; nostra temnere  
Delicta, magna sint licet.  
Nil vos, licebit maxima  
Peccata sitis, nil trucem  
Hostem timebo, qui me impulit  
Parere vobis tam diu.  
Mortem protervā spernimus,  
Vel,*

Vel, veriùs loquar, nimis  
 Optamus, ut Deo citò  
 Iungi queamus optimo.  
 Tristi ut relicto carcere,  
 Fædisq; sordibus, simul  
 Cecis tenebris, & feris  
 Vexantibus nos hostibus:  
 Lati fruamur inclyto  
 Regno, beata in patria,  
 Quæ nostra vera est patria,  
 Mater bonarumq; omnium.

MORTEM IAM ESSE  
 PROXIMAM.

Quid cogitas ò mens mea  
 Misella, tristis, anxia?  
 Quid nam malorū in te struis  
 Incauta, ceca, nescia?  
 An forte non dum pœnitet  
 Tot turpium libidinum,  
 Tot sordidorum criminum,  
 Superant arenas quæ maris?  
 Peccata peccatis nova  
 Veteribus addis, siccine  
 Placare fortassis putas,  
 Iram supremi iudicis?  
 Sic te paras ad exitum  
 E carcere hoc durissimo?  
 Sic ad tremendi ibis Dei  
 Tribunal illud horridum?  
 Iam sevus exactor procul

Haud est, iam adest, iamq; exi-  
 Vectigal omnes solvere, (gia  
 Quod iure debemus Deo:  
 Tam divites, quàm pauperes,  
 Tam nobiles, quàm rustici,  
 Tam masculi, quàm fœminæ,  
 Omnes tenemur solvere.  
 Immunis est nemo, unico  
 Nec filio quidem suo  
 Pepercit aternus pater,  
 Sed victimam lubens dedit.  
 Et tu sceleste homuncio,  
 Vel veriùs terra, autumas  
 A debito hoc evadere?  
 Ah falleris miser, miser.  
 Iam ver redit: iam fervida  
 Succedit æstas, iam caput  
 Autumnus arvis extulit,  
 Iam hyems recurrit tandem.  
 Iam rosea fulget athere (iners:  
 Aurora, iam Phœbi iubar  
 Illustrat orbem, iam tenet  
 Medium poli axem, iam ruit:  
 Iam noctis humida polum  
 Cæcæ tenebra contegunt.  
 Et sic vides planè omnia  
 Ire, & redire iugiter.  
 Sed tu haud redibis, cùm semel  
 Lucem relinques hanc, nefas  
 Est namq; rursus mortuos  
 Ad hoc redire seculum.

Haud H Sepulchra



Sepulchra cuncta respice,  
 Tot ossa, totq; pulveres,  
 Hac te docebunt denuò  
 Posse huc reverti neminem.  
 Sed diligenter omnia,  
 Et singulatim pondera,  
 Quis Rex, quis est, dic, infimus,  
 Quis grecus, & quis barbarus?  
 Discerne si forsàn potes  
 A debili fortissimum,  
 A dite egenum, à libero  
 Servũ, probumq; ab improbo.  
 Heic Cræsus ille Lydius,  
 Et Irus heic inops iacet:  
 Iugurtha capte cum tuo  
 Victore Mario Consule,  
 Misti iacetis, noscere  
 Nullusq; discrimen potest:  
 Horum omnium si eris memor  
 Peccare posthac desines.  
 Sed te parabis sedulo  
 Ad finem ita, ut cum venerit  
 Sponsus beatus, ne tum emas  
 Oleum, sed emptum proferas.  
 Sic Nuptias letissimas  
 Celebrabis, & post cum Deo  
 Regnabis usq; tu quoq;  
 Effectus in cælo Deus.

AD DEVM OPTIMUM  
 MAXIMUM.

Narrare

Narrare sapius paro,  
 Cælestis o Rex, & Pater,  
 Quot, quanta fecisti mihi  
 Bona, atq; magnas gratias.  
 Numerus sed ingens obruit  
 Me prorsus, & stupens pavet  
 Mens ipsa, verbum nec valet  
 Confusa lingua promere.  
 Nam hac esset, immensi freti  
 Numerare guttas, & poli  
 Stellas nitentes, & simul  
 Frondes virentes arborum.  
 Ergo silebo, dicere  
 Cum non queam, verum tamen  
 Tacere tantum hoc nequeo,  
 Ab hostibus quod scilicet:  
 Me liberasti mira ope  
 Toties, & omnes machinas,  
 Fraudesq; rupisti & dolos,  
 Quos struxerant meum in caput.  
 Quantas mihi insidias mali  
 Fecere saepe, retia  
 Quot iam paravere asperas  
 Quæis me impeditum pderent?  
 Evasi at inde, nec mihi  
 Quicq; nocere hostes truces  
 Potuere, corruit, iacet  
 Eversa eorum audacia.  
 Tu me tueris, o Deus,  
 Tibiq; pietas est mea,

Et

Et musa cordi, copias  
 Tu suggeris, quæ me adiuvent.  
 Mecum si adesse, altissime,  
 Dignaberis, potentia  
 Timenda nulla erit mihi,  
 Nec vis nec hostium furor.  
 Tu turba solis in locis  
 Semper mihi es, præsentia  
 Tua usq; tutus ambulem  
 Inermis, & solus licet.  
 Hostes fremant & apparent  
 Damnum, ruinam, & deniq;  
 Certissimam vita necem,  
 Eos timebo non hilum.  
 Temnam cachinnos, omnia  
 Tela, arma, casses, & plagas,  
 Tormenta cuncta, & machinas,  
 Artesq; cunctas bellicas.  
 Ursos, leones, & lupos  
 Spernam, atq; serpentes simul,  
 Et ceteras diras feras,  
 Nobis nocere quæ solent.  
 Iam nec latrones pauperes  
 Metuunt, minus quos maximi  
 Tutela defendit Dei,  
 Fures timebunt obvios.  
 Securus incedam, licet  
 Densæ tenebrae obnubilent  
 Cælum, nec ulla luceat  
 Lux, nocte vel densissima.  
 Tu lumen, ô Pater potens,

Medijs

Medijs tenebris es mihi,  
 Sol ille tu es, tu es aureus  
 Perennè Phæbus emicans.  
 Cornu simul tu copia  
 Qua postulat necessitas  
 Manu benigna largiens  
 Amplissime, & quicquid volo.  
 Dives facisq; ut iudicer  
 Ab omnibus, cum sim tamen  
 Pauperrimus, scis tu Deus  
 Verène vel falsè loquar.  
 Sic doctus, etsi indoctior  
 Infante sim vel quolibet,  
 Hoc muneris totum est tui,  
 Sunt dona sicut cetera.  
 Quas gratias agam ô Pater,  
 Referre quando linquitur  
 Spes nulla? non si vixero  
 Vivax Sibylla secula.  
 Linguam disertam, tu Pater  
 Benigne fac, nam tu nisi  
 Concedis hoc, non est potis  
 Quas debet agere gratias.  
 Ergo mihi linguam expedi,  
 Ut possit aliquid eloqui  
 Et agere dignas gratias,  
 Ingratus ut ne censear.  
 Vivamq; sic, ut postea  
 Vitæ pusillum quod super-  
 Est, dicta, factaq; omnia  
 Ut sint tibi gratissima.

H 2 TERRE



TERRENIS SPRETIS, QVOD DEVS AB IN-  
COELESTIA SE-  
quenda. Anacr.

Non mi volo coronas,  
Fasces, opes, honores,  
Non vivere opto, ut isti  
Mundi solent beati,  
In luxu, & in choreis,  
In floribus, rosisq̃.  
Nardo & mero peruncti:  
Et nunc lyra canendo,  
Nunc cum malis puellis  
Totos dies terendo.  
Hostes habere cuncta.  
Istac meos peropto.  
Me CHRISTE habere fas est.  
Verè crucem beatam,  
Noctes, diesq̃ mente  
Hanc cogitare, & usq̃  
Amplectier, sequiq̃  
Totoq̃ corde amare,  
Me dedecus decorum  
Reddat, simulq̃ magnus  
Contemptus ille magnum,  
Quo mundus iste CHRISTVM  
Contempsit, atq̃ egestas  
Eius nimis profunda  
Me ditet, atq̃ honestet.  
Inglorius volo isthuc,  
Contingat hoc mihi opto:  
Et cetera ipse mundo  
Cedam, illiusq̃ amicis.

NUMERIS PERICVLIS:  
ipsum eripuit, gratias ei agit,  
præsertim in itinere, quod  
in Thraciam suscepit.

Anacr.

Quis in meis periculis,  
In casibusq̃ acerbis,  
In maximisq̃ curis,  
Custos fuit, comesq̃  
Defensor, & patronus,  
Tutela, scutum, & ensis?  
An non, Pater benigne,  
Tu solus is fuisti?  
Tu lux mihi in tenebris,  
Tu turba mi frequens in  
Solis locis fuisti,  
Tu ab hostibus malignis,  
A faucibus luporum,  
A casibus tyranni,  
A fraudibus dolisq̃  
Nocentium virorum,  
Me homunculum misellum,  
Solumq̃ liberaisti.  
Miro modo, simulq̃  
Victoriam dedisti.  
Quas gratias agam nunc,  
Quando referre nunquam  
Spero? mihi tu & istud  
Dona, Pater benigne,  
Ut donec ipse vivam,  
Et corde

Et corde toto & ore,  
 Et mente, viribusq;  
 Laudare te potis sim,  
 Sanctis tuisq; iussis  
 Obtemperare semper :  
 Fiat nihilq; per me,  
 Tue benignitati  
 Quod displicere possit.

TESTAMENTVM-

Ades parumper mens mea,  
 De serijs rebus volo  
 Tecum loqui, tu fac modò  
 Attenta sis, meq; audias.  
 Instat dies novissimus,  
 Fortasse nescis, quòd tibi  
 Sit hinc eundum, & postea  
 Nnnq; huc revertendum am-  
 Debemus ergo quod viri (plus,  
 Facere cati, & cauti solent,  
 De rebus antea & bonis  
 Deliberare scilicet.  
 Dicendus heres est prius,  
 Cui tu relinques maximam  
 Partem bonorum, aut omnia,  
 Quorum tu abundas maximè.  
 At scelerum abundo maximè  
 Horumq; sum ditissimus :  
 Sit Christus heres omnium  
 Scelerũ meorum, & criminum.  
 Christo relinquo hæc omnia,

Ipse

Ipse habeat, ipseq; ut suis  
 Utatur, hoc est deleat,  
 Sunt imputata quando ei.  
 Renuncio omnino mea  
 Delicta cuncta, nil volo  
 Cum illis habere postea  
 Vel parvuli negotij.  
 Lavata Christi sanguine  
 Dici mea haud post convenit.  
 Hereditatis maxima est,  
 Legata pars rectissime.  
 Quid de meis virtutibus,  
 Quid de operibus meis bonis  
 Statuam? miser qd sic loquor?  
 Habemus horum non hilum.  
 Si quid pusillum forsitan  
 Est candidi, si quid boni,  
 Hoc muneris totum est Dei,  
 Ad me quidem nil pertinet.  
 Sed cui relinques dic opes,  
 Cui maximam pecuniam,  
 Habere te quam plurimam  
 Mortalium multi asserunt?  
 Certè mihi pecunia  
 Satis superq; sufficit,  
 Si merita spectabo mea,  
 Haud vulgus ut credit levus.  
 Pusilla valde illis foret,  
 Qua iam mihi est amplissima:  
 Sic iudicare perperam  
 Popellus insanus solet.

H 3. Sed

Sed sit pusilla aut maxima,  
 Hanc pauperes habeant volo,  
 Isti secundi post meum  
 Christum bonorum sint heri.  
 Isti rependent post ibi  
 Quod hic datum antea fuit,  
 Maiore sed cum faenore,  
 Grati patroni apud Deum.  
 Quid dicis autem de libris?  
 Hos inclyto senatui  
 Gedanensium, jure optimo  
 Dico, relinquo, & consecro:  
 Qui me recepit exulem,  
 Annos alendo plurimos  
 Ad usq; vite terminum.  
 Benignitas o maxima.  
 Sed persequi reliqua pudet  
 Turpissima, & teterrima,  
 Fecere toties quae mihi  
 Tot damna tamq; grandia.  
 Vastate cuncta mordicus,  
 Hostes acerbos perditte:  
 Paenam obsecro tantis date,  
 Factis iniquis congruam.  
 Nolo supersint integra  
 Vel ossa, nolo pulverem  
 Superstitem, favillam ego  
 Superesse nolo vel meam.  
 Immunda cur istaec velim  
 Extare? facem, foetidum  
 Lutum, simum vilissimum,

Et

Et omnium vas sordidum?  
 Faetore tetro solvite  
 Orbem, nequit qui hunc perperi  
 Diutius, qui hanc nauseam  
 Perferre deinceps denegat.  
 O mors, amara plurimis  
 Memoria maxima est tua:  
 Verum mihi gratissima,  
 Et melle longè dulcior.  
 Namq; hac reposita tam gravi  
 Et tam molestâ sarcinâ,  
 Quietus usq; dormiam  
 Ut inde nemo me excitet:  
 Donec sonabit Angeli  
 Sonora caelestis tuba,  
 Quâ suscitatus vestiam  
 Corpus vetus beatius:  
 Indutus ut sic splendide  
 Ad nuptias agni dapes,  
 Edam beatus iugiter  
 Nectarq; divinum bibam.

OPTAT MORI.  
Anacreont.

Finire saepe spero  
 Longum meum dolorem:  
 Verum fefellit, heu, me  
 Saepe atq; saepe spes hac.  
 Redire nam videmus  
 Longum meum dolorem,  
 Augerierq; eum ipsum

Magis



Magis magisq̄ semper.  
 Cur mors venire differs,  
 An quòd mori peropto?  
 At si nimis timerem,  
 O quàm citò advolares.  
 Ergo timere posthac,  
 Iniqua mors, nolo te.

Fortasse cùm hoc videbis,  
 Non differes venire,  
 Et fines, licebit  
 Serò, meum dolorem  
 Longum: dabisq̄ pacem  
 Et gaudium perenne,  
 Quod usq̄ me beabit.

EPIGRAMMATA EIVSDEM,  
 quorum plurima interciderunt.

AD FRANCISCVM BETTVM PATRI-  
 CVM ROMANVM.

Quid tibi? quid facies rerum hæc confusa videtur,  
 Dic bone Bette precor?

En fas atq̄ nefas, ius atq̄ iniuria, lex, vis,  
 Omnia mista iacent.

Heu ubi religio est, ubi sancta Ecclesia Christi?  
 Fabula, verba, sonus.

Omnes ore vocant Christum, sed cordibus omnium  
 Heu mihi Christus abest.

Quin Deus omnipotens vix nomine noscitur ipso,  
 Nomen inane Deus.

Est Deus in primis scelerata pecunia nobis,  
 Præcipuè hæc colitur.

Dein

Deum nostri proprij affectus, & prava voluntas,  
 Regna secunda tenent.  
 Tertia succedit simulatio religionis,  
 Hæc hodie est pietas.  
 Hypocritæ sancti dicuntur, deinde sophistæ  
 Dogmata sacra docent.  
 Nocte quod in somnis cernunt, oracula iactant,  
 Quod voluere pium est.  
 Quod si forte bonus quis sese opponere tentet,  
 Sentiet exitium.  
 Carcer & exilium, tormenta & flamma parantur,  
 Sævaq; mors sequitur.  
 Sic hodie ludit, sanctam quæ religionem  
 Subdola gens simulat.  
 Venter cui Deus est, quæ luxu & sanguine gaudet,  
 Bellaq; sola crepat.  
 Arma viri ferte arma, decent nam talia sanctos,  
 At pietas fatuos.  
 Convenit ignavis patientia vana prophanis,  
 Martia tela pijs.  
 Gloria sic Christi clarescit nempe furore,  
 Fraudibus atq; dolis.  
 Cur mihi sunt aures misero, cur lumina, & ô mors  
 Cur mihi serô venis?  
 Quid si mulare diu iuvat hæc? quin frena pudoris  
 Rumpite cuncta semel.

Parvus

Parvus erit labor iste etenim, sat parvula frena  
Sunt ea, quæ superant.

Ponite vesani fallacem ponite larvam,  
Haud pueri usq. sumus.

Ne deinceps temerè usurpetis religionis  
Nomina falsa rogo.

Dicere Christicolas posthac vos esse cavete,  
Nam mala facta negant.

Sed potius vestris aliud perquirite nomen,  
Conveniens meritis.

Nam quicumq. Deo credit peccata placere,  
Christicola hic minimè est.

At tu Christe patris summi sapientia summa,  
Eja age Christe veni.

Teq. ostende tuis regnare & vivere tandem,  
Eja age Christe veni.

## DE CONDITIONE HOMINVM PIORVM.

Ergo ubi securè dabitur considerare rectis,  
Gaudia quando illis, quando erit ulla quies?

Quod si non premitur tetra caligine pectus,  
Et mihi vaticino dat DEVS ore loqui.

Hic nullam iusti requiem neq. gaudia habebunt,  
Quæ DEVS ætherea magnus in arce dabit.

Vos igitur iusti fortes tolerate laborem,  
Nam labor hic modicus maxima dona manet.

I DE CON

DE CONTEMPTU LIT-  
TERARUM.

Magnus honos fuerat quondam, decerpere lauram,  
Et nitidas sacra cingere fronde comas.  
Littera prima abiit, nam nunc decerpitur aurum,  
Hoc est magnus honos, quo sine magnus ovos.

DE EO QUID PECUNIA  
POSSIT.

Quisquis habet nummos securâ navigat aurâ,  
Fortunamq; suo temperat arbitrio.  
Multa loquor, quicquid nummis presentibus optes,  
Eveniet, clausum continet arca Iovem.

DE COMMODIS SVÆ  
EGESTATIS.

Dum vana ambitio tenuit me, dumq; molestas  
Stultus opes colui, nullam habui requiem.  
At postquam proba pauperies me excepit amicum,  
Iam vivo, & felix omnem habeo requiem.

IN COMMENDATIONEM  
CICERONIS.

Romani eloquij vindex clarissimus ipse est  
Tullius, hunc sequitur cætera turba ducem.  
Nam quicquid miri, quicquid pulchriq;, boniq;  
Sive inter Latij, sive Orientis opes:  
A Cicerone petes solo, quæcunq; disertè  
Dixerunt, omnes, na Cicero unus habet.

Naturæ

61.  
*Naturæ posthac miracula cuncta filete,  
Esse etenim majus nil Cicerone potest.*

IN COMMENDATIONEM  
ARISTOTELIS.

*Naturæ explicuit mysteria cuncta disertè  
Magnus Aristoteles, cœlestia non penetravit.*

DE SEX REBUS INCONSTANTI-  
BUS GLYCONICVM.

Sex rebus soleo parùm,  
Aut certè nihil, aut nimis  
Rarò fidere, scilicet  
Prima est, lubrica sors mali  
Tali, dein sequitur senis  
Robur, vitaq; prospera,  
Æstivæ nebulæ, simul  
Brumæ læta serenitas,  
Cui fido minimè omnium,  
Rasi verticis est fides,  
Restat deniq; foeminæ  
Enarranda fidelitas.

QVALES SIBI EXEQVIAS  
FIERI CVPIAT.

I 2

Cum

Cum DEVS ex tetro me carcere iusserit isto

Exire, haud utinam sit procul illa dies.

Vos precor o chari, quicumq; aderitis, amici,

Sive alij memores, qui pietatis erunt.

Inferias nullas, nullos praestetis honores,

Nemo me lachrymis, nec gemitu decoret.

Ignotam vili sed tantum condite terra,

Ne volucres lacerent, neu voret ossa canis.

Hoc sat erit nobis, aliud nec deprecor unquam,

Nec merui: magni funera magna habeant.

#### IN EFFIGIEM SVAM.

Destruat effigiem mox, ut solet omnia, tempus,

Immortalem animam destruere haud poterit.

#### EPITAPHIVM

Quod ipse de se composuit.

Ossa diu jaclata nimis terraq; mariaq;

Hic requiem errorum deniq; repperiunt.

ἄλλο περὶ ἐκείνου αὐτοῦ.

παρθενότητι σε γεγέννηκεν, μελέπειρα δὲ οἶδας

τῶν πολλῶν μεγαλοπρεπέ' ἄστυα ἢ τρίτον ἀνδρῶν:

καὶ διὰ τῆς χριστοῦ καθαρᾶν διδαχὴν σὺ ἀφῆκας

πάντα τ' ἔοησας, πεπόνθως δὲ μυρὶ ἄλγεα λυγρὰ.

ὑστερον ἐν Γεδανῶ πολέθρῳ χαίρων παρέθηκας

πνεῦμά σου, εἰς χεῖρας σωτήρος χριστοῦ Ἰησοῦ.

Idem fusius.

Neapolis te protulit,

Populosa post Germania,

Et

Et Gallia atque Iberia,  
 Et Anglia atque Dania,  
 Polonia & Lithvania,  
 Tum regna alia te viderant.  
 Ob agnitam Christi fidem,  
 Hæreditariâ tuâ  
 Oria urbe sponte cesseras,  
 Ac dignitates maximas,  
 Et ampla liqueras bona,  
 Quæ obvenerant tibi à tuis.  
 Res mira & ô rarissima.  
 At omnibus molestijs  
 Curisq; functis, deniq;  
 Gedani tuum claudis diem.  
 Et, laus Deo, hîc non longius  
 Atq; alibi, abest polus solo.

*Andreas VVelsius F.*

**PARADOXA  
 EIVSDEM.**



## PARADOXVM.

## I. Quod nemo lædatur nisi à seipso.

**N**on diutius hinc sistam, non multum morabor. Est enim hoc adeo clarum certumq; ut prorsus sit dubium nemini.

Quid me perferre, patiq;  
 Indignum coges? *Adimam bona, nempe pecus,  
 rem, lectos, argentum, tollas licet, in manibus, &  
 compedibus sævo te sub custode tenebo.* Non sen-  
 tio me tangi: Haud aliter agis ac irascens canis, qui  
 projectum lapidem mordet, omisso percussore. Vestem  
 meam scindis verberasq;, quum me putas lædi. Sic in-  
 dignatae faciunt mulieres, & pueri. Longè falleris in-  
 felix, si in divitijs, thesaurisq; spem collocasse, meq;  
 inde pendere arbitraris. Extra me sunt hæc omnia, ni-  
 hil curo, abijcio, parvipendo omnia: Carcerem, ecu-  
 leos, tortores, cruces, ignes, contemno, rideo, exhibilo.  
 Me volo omnia mea mecum portare scias, istæc omnia  
 existimo aliena, plus dico, me quoq; ipsum alienum cen-  
 seo, membra inquam, id est, oculos, aures, linguam, ma-  
 nus, pedes, corpus totum deniq;: solum animum verè me-  
 um esse iudico. Hunc autem qui fieri poterit, ut unquam  
 eripiat, aut lædat aliquis? Itaq; dum hic intactus per-  
 sistit, læsum me nunquam dicam. Unus ego id possum  
 facere, atq; idcirco unus ego me possum lædere. Id ve-  
 rò facio, non eo quo tu reris modo, sed longè diverso.  
 Quum enim præter decorum, & contra honestatem ali-  
 quid committo, tum sine dubitatione meipsum vehe-  
 menter lædo, quum pecco, id est, quum aliquid ago  
 contra Dei altissimi voluntatem, tum lædo me gravis-  
 sime



timē. An fortē putas, quod tu lædis me, quum me de-  
 spicis, quum contumelias mihi, iniuriasq; facis, quum  
 damna infers, quum deniq; me interficis: Valde erras,  
 si istud cogitas, tum ego lædor, quum ista alijs facio.  
 Itaq; nihil extrà est, quod sit timendū, intus, intus est  
 equus ille Trojanus, ille meorum malorum, contume-  
 liarū, detrimentorum omniū fons est, origo, caussa, ma-  
 teria inexhaustissima. Quid igitur foris extimescā, quū  
 domi habeā hostem familiarē, qui me assiduē circum-  
 venire nititur, qui me semper observat, curatq; semper  
 aliquid damni adferre, aut doloris? Hunc igitur, si sapi-  
 am, metuā, hunc perhorrescam, Alij nec mihi molesti  
 sunt, nec mihi malē volunt, quin si velint, nec facere  
 planē queunt. Inimici hominis domestici ejus, ait ille  
 verissimus rerū æstimator, ille nostræ Philosophiæ in-  
 stitutor peritissimus, & magister. Quod si domesticū  
 sunt inimici infestiq;, profectò quantò magis erunt do-  
 mestici, tantò inimiciores, & infestiores. At quis magis  
 nobis domesticus, quàm nosmet? Ergo ego solus me  
 lædere possum, alius præterea nemo. Si ego mihi pacē  
 concedo, bellū inferri aliunde non poterit, si ego mihi  
 propitius ero, nullus certē erit adversarius. Sed nā de-  
 mens nunquam mihi pacem do, nunq; do operam, ut sim  
 mihi propitius, sed totis viribus vltro in meam ruo  
 perniciem. Quum quiescere valeam, securusq; degere,  
 in labores me sponte mea conijcio, & pericula. Bellū  
 extinctū iam excito, flammam suscito iam sopitas. Mala  
 undiq; velut alter Cæcias mihi adtrahere gestio. Si me  
 inimicum non haberem, omninò carerem inimicis, ef-  
 sentq; amici omnes. Si ego meum malū magno nō eme-  
 rem, nullo penitus afficerer malo, aut incommodo.  
 Itaq;

Itaq; ipso sole clarius est, à nemine posse nos lædi, nisi à nobis ipsis, nosq; originem, caussamq; esse & nostrarum iniuriarum, & reliquorum malorum omnium. Quod quum cunctis notum sit sapientibus viris, nec solum theologis, sed etiam philosophis, qui quidem de hoc multa volumina quoq; scripserunt, frustra hunc subeo laborem. Quare ut dicebam, paucis contentus esse volo.

## II. Quod homo à nemine maiora accipiat damna, quàm à seipso.

Et vulpes gallinas mihi surripit, & lupo oves parva certè utraq; iactura. At fures & vestes furantur, & vasa argentea, gemmasq;, & pecunias. Quid tum postea? tanti hæc quisquis æstimat, quantum ea diligit. Sit modò aliquis, qui detrimenta, fugas servorum, & incendia ridet, qui horum amissione dolere poterit? Verùm hostes struunt insidias, mali homines fraudibus dolisq; agunt, tyranni minantur carceres, exilia, neces, vis ut ijs plus addam? accipe,

*Iustum & tenacem propositi virum  
Non civium ardor prava iubentium,  
Non vultus instantis tyranni  
Mente quatit solida, nec auster  
Dux inquieti turbidus Adriæ. Adhuc parum  
tibi dixisse videor. Audi reliqua,  
Nec fulminantis magna Iovis manus  
Si fractus illabatur orbis  
Impavidum ferient ruinae. Sic loquuntur homi-  
nes,*

nes, sapientes illi quidem non negaverim, verum eorum talis est sapientia, quæ potius insipientia dicenda est. Cogita nunc tu, quid illi dicere debeant, qui longè lateq; à vulgo sunt remoti. Etenim qui divina præditi sunt veraq; sapientia, non secus huius mundi res existimant, quàm telas araneorum. Quod si tibi iam constitit, nisi nos ipsos lædamus, lædere posse nos neminem, quur dubitatis id mihi concedere, quòd nemo nobis maiora infert damna, quam nos ipsi? Par causa, par est ratio. Nam si ego me lædere possum, non alius, ego quoq; plus minusve id facere possum. Aliiter quí fieri posset, ut is qui lædere me non valet, plus eo læderet, qui valet? An lethalius ferire poterit bimus infans, quàm ipse Hercules? Quàm crassa vel cæca potius esset ista ignorantia. Non igitur in dubium quoq; venire debebat hoc, neq; inter *παράδοξα* numerari: sed fuit quorundam stulta opinio, miraq; *φιλαυσία*, qui putant neminem carum sibi magis esse, quàm seipsum, quum pateat omninò contrarium. Et quidem si me spolient homines vestimentis, si privent pecunia, supellectili, gemmis, prædijs, censibus, imò si uxorem liberosq; mihi auferat, tamen vivere sine his omnibus potero: Imò si me vinciant, torqueant, excarnificent, si deniq; occidant, corpus quidem hoc vile perdent, quod omninò erat paulò post periturum: At animus, hoc est meipsum, quo consto, quo sum, quo vivo, quo homo nuncupor, hunc illi nequaquam poterunt vnquam adimere. Vivam igitur vel ipsis invitis, quanquam me mortuum existimabunt, & quo maiores cruciatus, gravioraq; credent intulisse damna, eo plus mihi eveniet & læticiæ, & emolumentis.

K

minimum

minimum quid flagitiū admiserō, iam statim de me actū est, iam pœnis me dedo perpetuis, nec quidquam diuitiæ proderunt mihi meæ, licet ditissimus sim, nec generis claritas, etsi sim nobilissimus, nec simul, aut pulchritudo, aut fortitudo, aut sapientia, quamvis sim pulcherrimus, fortissimus, sapientissimus. Itaq; vides iam quantum decipiamur, quàm mali simus rerum æstimatores, quum opinemur ab alijs magna nobis evenire detrimenta, à nobis verò nulla. Quamobrem Doctor noster cœlestis opportunè nos commonefacit. Non quod intrat in os impurum reddit hominem, sed quod ex corde egreditur, siquidem ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, convicia: quæ quidem sunt illa, quæ hominem reddunt impurum. In meo ergo regno quum solus ego ipse regnem, nemo mihi poterit adversari, nisi ego solus. Proinde & à me quoq; solo, & non ab alio aliquo magna damna & mala planissimè sunt expectanda.

III. Quod nēminem magis odisse quisq; debeat quàm seipsum.

Etsi durè dictum admodum videtur hoc, tamen non ita videbitur, si superiora concessa accuratè expendimus. Nam si à nemine nos, nisi à nobis ipsis lædimur, si nemo nobis maiora infert damna: hoc, quod diximus necessariò colligitur. Quotus enim quisq; est, qui eum amare queat, à quo læsus est? à quo maxima accepit detrimenta, & incommoda? & non magis illum vehementer odisse, atq; eò magis, quò maiora fuerit

rit



rit perpeſſus mala? ſic mihi prorsus videtur facien-  
 dum, niſi planè deſipiamus, niſi talpa ſimus cæciores.  
 Et tamen adeò deſipimus, adeò cæci ſumus, ut hunc,  
 tantorum cauſſam malorum, quem odiſſe, immo maxi-  
 mè odiſſe debebamus, ipſum & diligamus, & amemus,  
 idq; maiorem in modum. Quæ dementia, quæ cæcitas  
 cum hac eſt comparanda? quantis medicamentis cu-  
 randa hæc ægri- tudo? Ac vide quæſo, quàm præpoſte-  
 re faciamus omnia. Nam eos qui nos lædere nequeunt,  
 odimus; diligimus autem eos, qui nos graviter offen-  
 dunt. Immo plerunq; accidit, ut illi quoq; nobis odio-  
 ſi ſint, qui nos valdè iuvant. Etenim ab amicis ali-  
 quando placidè admonemur de rebus utilibus, & val-  
 dè neceſſarijs, atque tantum abeſt ut eis gratias, ſicuti  
 par erat, referamus, ut potius eos obiurgemus, atque  
 incipiamus, vt veros hoſtes, acerbiffimè infectari: atq;  
 his ſpretis nos ipſos audiamus, nobisq; obtempere-  
 mus. Quò fit ut bonis ducibus repudiatis, malis ad-  
 hibitis, in ærumnas, miſeriasq; graviffimas incurra-  
 mus, idq; meritò. Odiſſe igitur magnopere debemus  
 hunc adverſarium tam infeſtum, nec mihi volo ut cre-  
 datur, ſed ipſi ſumæ Dei ſapientia, id eſt, ipſi Dei filio,  
 qui nobis ita loquitur. Qui amat animam ſuam in hoc  
 mundo, perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc  
 mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Et alio loco  
 clariffimè docet. Non poſſe nos ſuos eſſe diſcipulos,  
 niſi nos noſmet habeamus odio. Quò illud quoque  
 ſpectare reor, quod dixerat, ſi quis vult poſt me veni-  
 re, abneget ſemetipſum. Nihil enim eſſe aliud ſeipſum  
 abnegare, quàm ſeipſum odiſſe. Perſpicuè ergo cer-  
 nis, quod noſmet amare neutiquam debeamus, quin

potius habere odio. Quod quidem si fecerimus, certū erimus animam nostram custoditum iri in illa æterna patria nostra, scilicet vera patria, perditū verò si contrā veniemus. Proinde non *παράδοξον* adpellabis hoc, sed rem potius dilucidam simplicemq;: etsi pleriq; ac ferè omnes ita non sentiamus, capti nimirum atq; irretiti, imò verius cæcati amore, illo nostro proprio, illo, inquam, morbo, ex quo omnes morbi derivantur, illo, inquam, morbo, quo cum reliqui morbi collati, pro morbis non sunt existimandi. Itaq; non malè, sed longe optimè fecerimus, si morem gerentes nostro Doctori institutoriq;, illum quem cognovimus læsisse nos, & ingentia nobis dedisse damna, non solum diligenter vitemus & fugiamus, sed etiam habeamus odio.

#### IV. Quod ab inimicis multum utilitatis, nihil accipiamus incommodi.

Quæ nunc nos dicimus, ante nos olim aliquot dixerunt viri sapientissimi, verum non omnia. Primam enim partem proferentes, postremam omiserunt. Nos autē de prima nihil loquemur, cum ab alijs tractata, tū quod sit per se satis clara, ad alteram utpote obscuriorem, totos nos convertemus. Verum enimverò non erit obscura, si duo præcipuè nobis proponamus, unum, de magna videlicet utilitate, quum ab inimicis admonemur de ijs, quæ ab amicis, partim ob pudorem, partim ob negligentiam, partim deniq; ob metū, ne nos offendant, non cognovimus, ita ut prudentissimè ab illo dictum sit, Aut sinceris amicis, aut acerbis  
nobis

nobis opus esse inimicis: tum & ob diligentiam, quam adhibemus, ne aliquid committamus, quo nos inde carpant & derideant: tum & ob alia plurima, quæ ut dixi, silentio decrevi prætermittere. Alterū verò quod constituere debemus, est, si perpendamus ea, quæ verè nostra sunt, quibusq; & constamus & dicimur, intra nos esse, inq; nostra sita potestate: sic tamen ut nullus unquam à nobis aliquid quantumvis minimum, nisi nos ipsi, queat eripere, nemo nocere valeat, nemo facere iniuriam: quemadmodum & antea à nobis abundè remur esse demonstratum. Quamobrem certissima fit ex iam dictis conclusio, nec ab inimicis nos, nec ab alio quovis aliquo, ullum incommodum, ullam accipere posse offensionem, vel molestiam: Quin & quod graviora erunt, quæ in nos committent inimici, eò nobis largiorem gloriam suppeditabunt. Quis enim miles sine adversario clarus? imo sine æmulo nulla virtus notabilis, nulla extat admirabilis laus, quæ quidem laus tantò crescet fietq; maior, quantò æmulus fuerit durior, & fortius intensiusq; contra nos dimicaverit. Quod si ijs cessantibus, nostræ laudis omnis quoq; & gloriæ cessat materia, certum est, nullo nos adfici ab inimicis incommodo, imo magno adfici mur commodo, quum causam, uti diximus, dent virtutes amplectendi & vicia fugiendi. Odisse igitur hosce iniustum valde esset, amare verò, si recte considerabimus, maxime æquum. Quocirca à legislatore nostro optimo optimè præcipitur, uti inimicos diligamus. Sunt enim ipsius opus, quemadmodum & nos, atq; causa sunt, ut per eos eniteamus, simusq; gloriosi. Proterea vult ille, ut suus peculiaris populus reliquis

K. 3.

appareat.

appareat perfectior. Reliqui siquidem sensum appetitumq; belluis similem sequentes, eò rapiuntur, quò pravi ducunt affectus, ac res, rerumq; proprietates penitus ignorant, nesciunt earum species, distinctionesq;, & differentias. At nos à summa edocti sapientia, eam ducem sequendo, minimè possumus falli: sed clarissimo in lumine ab ea nobis concesso, omnia uti sunt & perspicuè videmus, ac cognoscimus, & de omnibus rectè, & non dubitanter iudicamus. Diligimus igitur nostros inimicos, quia Deus noster, ut id faciamus iubet, & ideo iubet, quia videt maximis ab eis nos affici commodis, nullis incommodis. Quod si aliqui turbantur, quò videant crudeliter suos erga se gerere, & asperè adversarios, deberent hi recordari, quò se crudelius, asperiusq; gerant contra Deum, & sic omnis desineret turbatio. Quod si Deus nobis nò irascitur, neq; in nos ulciscitur, idem nos cum illis facere æquū, honestūq; est.

### V. Quod amicitia huius mundi, inimicitia sit DEI.

Huius sententiæ talem habeo adstipulatorem, imò auctorem, qui refutari possit à nemine. Quapropter nec inopinatum dici debet: sed movit me quorundam inveterata opinio, qui quidem adeò occæcati sunt, ut eos à semel recepta opinione quamvis falsissima, nunq; ulla valeat remove efficacissima, verissimaq; ratio. Sed isti, opinor, non admodum repugnarent, si expenderent, quantum utriq; ab utrisq; differant, quantumq; utrorumq; viæ mutuò dissideant. Nam quum duo invicem sint contrarij, nullo fieri modo potest, ut amicitia  
mutua



mutua sit, sed quæcunq; uni sunt grata, eadem alteri ingrata esse necesse est. Itaq; quum cognoscant, quantū Dei via ab huius mundi via distet, planè reperient, hos qui uni adherent, ab altero recedere oportere: & qui uni amici sunt, alteri esse omninò inimicos. Nam quò fieri potest, ut quis inimici sui amicos diligat? non magis ac si eos execretur, quos inimicus odit. Sunt igitur amici unius hostis, hostis illius inimico, inimici, quemadmodū & inimici unius hostis, hostis illius inimico, amici. Si verò discrimen utriusq; ignoratur, sciri hoc planè non potest, atq; hinc omnis error procedit. Nam quum quis sperat, se utriq; amicum esse posse, inveniatur utriq; inimicus. Proinde opportunè divina oracula per Dei filium ostendunt, nullo fieri pacto posse, ut unus servus duobus serviatur dominis. Aut enim hunc habebit odio, & alterum diliget, aut huic adhærebit, & alterum negliget. Quare rectissimè colligit: Non potestis Deo servire & māmonæ. Itaq; non est παράδοξον hoc, quod asserimus, potius παράδοξον esset, si contrarium assereremus, id est, Quod amicitia huius mundi, amicitia quoque Dei est, &c. quod quisque potest Deo servire, & mundo. Hoc esset verum παράδοξον, seu verius αδύνατον. Nam dicere, quod nos dicimus nihil aliud est, quàm dicere, inimici mei amici, mihi æquè atq; ipsi amico, sunt inimici: sic & inimici mei inimicos, amicos habeo. Nulla ergo DEO cum mundo potest esse unquam amicitia, nulla conventio, nulla concordia, non aliter atq; iustitia cum iniustitia, luci cum tenebris, Christo cum Beliale, fideli cum infideli, templo DEI cum simulachris, Quapropter  
ne tam

ne tam graviter erremus, ne desipiamus adeò vehementer, ut quum huius mundi amici simus, illiq; studeamus placere, Dei quoq; amicos esse, & illi placere, nobis persuadeamus. Dum enim sic facimus, dum utriq; servire credimus, reperimur servire neutri. Neutri iccirco dico, quia mundo serviri nequaquam potest. Illi enim sedulo, noctes diesq; licet inservias, tandem cognosces te manifestè & operam unà perdidisse, & oleum. Quare cui servias etiam atque etiam attende, atq; ei amicum esse cave, qui officia tua ut cæcus, non videt, ut ingratus, non remunerat: ut malignus abiicit & adspernatur, quem quanto magis amicum facere conaris, tantò magis facis inimicum capitalem: quanto plus blandiris, tantò efficitur sævior, & truculentior: quem nullum placat quantumvis maximum obsequium: nulla obligant, sint licet ingentia merita: nullæ valent preces efficacissimæ flectere: qui deniq; deceptum te & circumventum exitio tradet sempiterno. Quin potius da operam, ut fias eĩ amicus, cuius vera, firmaq;, & stabilis est amicitia: qui omnium cogitationes, ne dum facta perspicacissimè perspicit, qui gratissimus parvis officijs largissimè tribuit munera, qui te magnificere & honestare nunquam desinit: qui adeò placabilis est, ut licet graviter læsus, benignè tamen ignoscat: qui te deserit nunquam, sed semper amplectitur, consulit, fovet, protegit, tutatur, ditat, ac demum ea donat præclarissima præmia, quæ neq; oculis, neq; auribus, neq; ullo sensu percipi possunt, imo quæ nec cogitatione, nec mente complectimur.

VI. Quòd

## VI. Quod sapientia huius mundi stulticia sit apud Deum.

Neque verò & istud inter admirabilia posuissem, quum ego non sim illius inventor, sed ille ipse cui contradicere, stulticia summa est, fidem autem non habere, magnum scelus. Sed non me pænitebit, modò videant huius mundi sapientes, quàm sint verè insipientes, atq; cognoscant suam sapientiam, parùm vel nihil potius sibi profuisse. Etenim si omnium rerum, ut ipsi loquuntur, finis spectandus est, omniaq; illius causa fiunt, exploremus diligenter, quis nam eorum fuerit finis. Verùm cum non unus finis, sed innumerabiles propè extiterint, ac totidem quot sapientes, sequitur ideo necessariò omnes aberrasse, ac fuisse falsos. Vnum enim finem, atq; unum bonum, idemq; summum quoq; esse necesse est, neq; plures fines, & plura bona. Nunc autem perspicimus, ex his sapientibus aliquos constituisse finem in virtute, quum tamen quid ea esset, prorsus ignorabant: aliquos in indolentia, ex hominibus stipites facientes: aliquos in gloria, quam quantò magis adpetebant, tantò recedebant ab ea longius, aliquos verò in corporis animiq; sanitate, quin si dñs placet, cum divitijs coniuncta, à vulgo videlicet nihil distantes: aliquos porro non puduit exuere hominem, & ferarum naturam penitus induere, statuentes summum bonum esse voluptatem. Sed quis eorum innumera somnia, seu magis portenta, & delirationes recenset? Ecce tibi istorum admirabilium hominum sapientia qualis fuerit, quàm vera, quàm firma, quàm solida. Quare quid mirum si stulticia à Deo sit existimata?

L

re enim

re enim vera talis est, adeo varia, adeo vana, adeo inconstans, incertaque; ut & ab hominibus etiam sapientioribus, cordatioribusque; saepe sit animadversa & reprehensa, ac derisa. Itaque abeat misera ista, crassaque; sapientia, imo vera insipientia ac stultitia, abscondatque; se in aliquo latibulo, unde exire nunquam audeat, nec in sapientissimi Dei conspectum apparere. Illuc enim si venerit statim denudabitur, atque suos colores, seu potius fucos omnes perdet, & illecebras. Verè misera & caeca es sapientia, quando tuos amatores tam captiosè decipis, tam destruis miserabiliter. Perdam, ait, omnipotens, & solus sapientissimus, sapientium sapientiam, & intelligentiam intelligentium reñciam: ubi sapiens, ubi scriba, ubi disputator seculi huius? O verè umbræ somnium, o vanitatum vanitas, quid tuis cum argumentis, argutijs, sohismatisque; efficis? quid pergis hominum animis caligem offundere? abi, abi infelix, ac suspède te. Nam Deus te infatuavit, teque; repudiata explosaque; quæ mera stultitia es, eam elegit stultitiam, quæ certissima est sapientia. Hæc est illa sapientia, quæ huic mundo stultitia videtur, eo nimirum modo, quo & infirmis dulce videtur, ob gustus corruptionem, amarum. Et verò stultitia ista DEI sapientior est quàm homines, & imbecillitas Dei robustior est quàm homines. Quocirca opto fieri stultus Dei & imbecillus, potius quàm tuus, o immunde munde, sapiens & robustus. Non enim multos iuxta tuum iudicium sapientes, non multos potentes, non multos claro natos genere Deus elegit. Verùm quæ stulta erant secundum te, munde stulte, ut pudefaceret sapientes, & quæ erant imbecilla in te, ut pudefaceret

ca

ea quæ sunt robusta: & quæ in te ignobilia, contemptaq; erant, & ea quæ non erant, ut ea quæ sunt oblitteraret, ut non gloriaretur omnis caro coram ipso. Itaq; cum tua istac sapientia, munde insipiens, nihil proficisses, quumq; quod magis torquebaris per tuam sapientiam DEVM cognoscere, eò cognoscebas minus: visum est Deo per quandam novam, sapientemq; stulticiam, tibi incognitam, inauditamq; afferre tibi cum vera sapientia, veram quoq; coniunctã salutem. Quapropter ô munde stultè sapiens, consulo, ut tua hac stulta sapientia relicta, Dei sapientissimi sapientem arripias stulticiam: Ita ut si quis in te videtur sapiens esse, in seculo hoc stultus fiat, ut reddatur sapiens. Etenim sapientia mundi huius stulticia est apud DEVM.

## VII. Quod gloria sit vera ignominia, contra ignominia vera gloria.

Veniant orbis terrarum principes, atque hæc audiant, quot risus movebunt, quos sustollent cachinnos? Atqui istam, dicent ignominiam malumus, habeas tu te præclaram tuã gloriam. Sanè sic opto, inquam, itaq; etiam fiet. Nam dum vos nimiũ inanem expetitis gloriam, innumerabilibus ignominijs, opprobrijs, & vituperationibus vos exponitis. Hoccinè ergo modo eritis gloriosi? Apagite, apagite cum ista vestra gloria, ego potius volo esse, ut planè iã sum, inglorius. At inquirunt, quĩ fieri poterit ut ignominijs, nos exponamus, quum ipsam veram, solidamq; requiramus gloriam? an fieri potest, us divitias quærens efficiatur pauper? Oppidò quàm facilè, inquam, idq; duobus modis,

L 2

Primum,

Primum, ut nunquam fiat dives, id est, ut nunquam adipiscatur divitias, fortunâ sibi adversante: aut licet adipiscatur, aliquo tamen casu adquisitas amittat, Deinde etiam si nanciscatur, etiam si tutò possideat, nec isto quoque modo adquietat, sed semper laborans, sudansque opes cumulare opibus, fame semper enectus, satur nunquam: qui ergo dici poterit dives? Similiter vobis accidit vestra cum gloria. Nam fieri potest, ut nunquam quod cupitis assequamini, aut licet eritis adsecuti, vel fors postea, vel culpa levis aliqua vobis eripiat. De fine verò quàm facile potest errari? quum putantes vos veram acquisivisse gloriam, falsam prorsus acquisivisse comperietis. Nam non unus modus est, quo ad illam pervenitur, sed prope infiniti. Quis igitur & verum modum se invenisse certò sciet, & deinde ipsam adeptum esse gloriam? Quid si quis popularem captare volet aurâ (nam sunt plerique qui hac via gloriâ aucupantur) quot ignominijs tum se obijciat? nonne tot inserviendum erit, quot erunt cives? opificibus, infimis, obscuris, turpibusque hominibus? Omnibus blandiendum, adulandum, elargiendum, tolerandi omnes, offendendus nemo, offensus autem ab illis de vindicta non cogitabit, imo ne hiscere quidē audebit: quæ erit ignominia, si hæc non est? Deinde quàm fluxa populi fides? quàm mutabile iudicium?

*Qui dedit hoc hodie, cras si volet auferet, ut si*

*Detulerit fasces indigno, detrahat idem.*

*Pone meum est: inquit, pono, tristisque recedo.* Ad horum arbitrium, imperiumque qui vivet, pendetque, gloriosus nominabitur? Equidem nominent alij: ego verò

verò nunquam faciam, sed potius omnium ignominio-  
sissimum nominabo. Quid loquar de his, qui Martis  
artibus laudem, gloriamq; ambiunt? Mitto de pericu-  
lis loqui, quæ magnanimo, fortiq; viro sunt omninò  
contemnenda, imo & desideranda (quanquam ipsum  
periculorum genus vituperandum sit, præsertim viris  
humanitate aliqua præditis) quid de ipso fine dicendū?

*Ille triumphata Capitolia ad alta Corintha*

*Victor aget currum, cæsis insignis Achiuis.*

*Eruct ille Argos, Agamemnoniasq; Mycenæ.* Præ-  
clara certè gloria, ac si laudaretur de nece pecudum la-  
nius, aut honestus aliquis puer de everfis passerum ni-  
dis. Dignus profectò finis, pro quo tot subiit labores,  
& pericula, ac demum nullam nisi eam, quam carnifex,  
consecutus est gloriam. Et hæc illa est gloria, pro qua  
tot, tantiq; sublimes, vulgi cæci iudicio, amplissimiq;  
viri, tam constanter certaverunt, nec dubitaverunt quo-  
que alacres mortem oppetere, ut videlicet essent pro-  
pterea bis miseri. Sed quis percurrat tot insanias? de-  
ficit tempus, præsertim quum ad institutum properem.  
Vestras istas glorias, fateor, non intelligo, quin nec ut  
intelligam, elaboro. Vestræ sint, vestras vos soli ha-  
beatis, atq; eis fruamini sine rivali. Aliam ego malim  
gloriam, quam vos nunquam nostis, nec de facie qui-  
dem, quam verè novit, & edocuit verè quidam glorio-  
sus: cuius verba, si non piget, audite, Ministri Christi  
sunt, desipiens loquor, excellentius sum ego, in labo-  
ribus copiosus, in mortibus frequenter: à Iudæis quin-  
quies quadragenas plagas, una minus accepī, ter vir-  
gis cæsus fui, semel fui lapidatus, ter naufragium feci,

L 3

noctem

noctem & diem in profundo egi, in itineribus sæpe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis inter falsos fratres, in labore, in molestia, in vigilijs sæpe, in fame & siti, in ieiunijs sæpe, in frigore & nuditate: præter ea quæ extrinsecus accidunt incumbit mihi quotidiana cura omnium Ecclesiarum. In Damasci civitate gentis præfectus nomine Aretæ regis excubias posuerat, in Damascenorum urbe cupiens me comprehendere, ac per fenestram in sporta dimissus fui per mœnia, & effugi manus eius. Deinde concludens, super huiusmodi, inquit, homine gloriabor, de meipso verò non gloriabor, nisi super infirmitatibus meis. Audite obsecro & ista, Et cum advocassent Apostolos, cæsis præceperunt, ne loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos, & illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quod digni habiti essent, ut pro nomine eius contumelia afficerentur. Conferte nunc, si placet, istæc verba, & contumelias illas cum vestris amplis, magnisq; glorijs, & triumphis, & iudicate utrum illustrius & excelsius. Sed quid de istis loquor famulis? Sumite omnium dominorum dominum, Regemq; Regum universorum, quæ gessit, quæ perpessus est? Qui quidem quum peccatum non fecisset, nec esset in illius ore dolus inventus, tamen quum maledictis incesseretur, non regeffit maledicta: quum malis afficeretur non minabatur, cum sputis adspargeretur, patienter sustinebat: cum pugnis, virgisq; percuteretur, nihil commovebatur: cum denique occideretur tantum abfuit, ut de vindicando cogitaret, ut  
potius



potius DEVM patrem suum precaretur, ut parceret interfecto-  
 ribus, in omnibusq; constanter se exhibuit, sicut ovis quæ ad occisionem ducitur, & quasi agnus coram tondente se obmutescibat, & non aperiebat os suum. Nunc istius contem-  
 plamini iniurias, & opprobria, & vestras glorias: Deinde dicite, utræ nam sint splendidiore? Atque ut ad vestras inanes gloriolas, quàm lubrica via, & difficilis, finis autem quàm incertus, inconstansq;? At verò ad hanc verissimam gloriã, quam vos ignominia, contumeliamq; dicitis, quàm expedita via, & facilis, quàm certus finis, pulcher & admirabilis? Non adhuc erubescitis? non resipiscitis? An vestra in sententia obstinati persistitis? Expergiscimini tandem miseri, expergiscimini, relictoq; somnio, & umbra inanis, falsæq; vestræ gloriæ enitimi-  
 ni, per ignominias has, & contumelias veram, solidamq; adsequi gloriam.

### VIII. Quod divites sint pauperes, contra pauperes divites.

Tu vero, inquis, isthoc modo poteras dicere frigidum ignem, & nivem calidam. Atqui mi homo, ego id non dico, tametsi scio aliquos dicere. Verùm hoc dico, si dicerem ignem esse calidum, frigidam nivem, quid novi, quid miri, inopinatiue dicerem? Patere igitur, si placet, & me quoque inter tot qui παράδοξα dicunt, aliquid dicere, quod hactenus sit humanis auribus inauditum. Sed dic amabo, hunc ciné vocabo ego divitem, quem tot curæ premunt, tot stringunt sollicitudines, tot pungunt, vexantq; molestiæ,  
 tot

tot fastidia torquent, anguntq;, tot excarnificant cruciatus, tot deniq; pœnæ, & supplicia enecant: qui noctes & dies nihil aliud cogitat, nisi opes opibus addere, pecunias pecunijs: qui semper quærit anxius acquirere, acquisitis nunquam fruitur?

*Quærit & inventis miser abstinet, ac timet uti.*  
 Qui tot tantisq; subiectus est casibus, tot servit humilis, abiectusq; superbis dominis: tot sævot tyrannos formidat: qui nunquam quiescit, nunquam respirat, laborat semper, semper sudat, cuius oculi nunquam somnum admittunt, nunquam cor lætitiæ sentit, nunquam mens habet quietem, qui deniq; ad omnem fortunæ auram pavet, tremittq;, nunc flatus timet, nunc pluviam, modò incusat mare, modò à sideribus pendet, nunc huc, nunc illuc cursitat, it, redit, stare loco nescit, quid sibi velit ignorat, metuere cogitur malos fures, incendia, servos, ne se compilent fugientes, hunc tu vocabis divitem? *Horum ego*

*optarim pauperrimus esse bonorum,*

*Me mea paupertas vitæ traducat inertî,*

*Dum meus assiduo luceat igne focus.*

*Liceat iacere modò sub antiqua ilice,*

*Modò in tenaci gramine.*

*Labantur altis interim ripis aquæ,*

*Querantur in silvis aves*

*Fontesq; lymphis obstrepent manantibus.*

*Somnos quod invitet leves.*

*Hæc mihi paupertas augustior, hæc mihi tecta*

*Culminibus maiora tuis, tibi quærit inanes*

*Terra*

*Terra dapes, rapiunt Tyrios tibi vellera succos,*

*Et picturata saturantur murice vestes.*

*Hic radiant flores, & prati viva voluptas,*

*Ingenio variata suo, fulgentibus illic*

*Surgunt strata toris, hic mollis panditur herba,*

*Sollicitum curis non abruptura soporem.*

*Turba salutantum latas ibi perstrepat aedes.*

*Hic adivum cantus, labentis murmura rivi.*

*Vivitur exiguo melius, natura beatis*

*Omibus esse dedit, si quis cognoverit uti. Tibi igitur habeas tuas divitias, tuas opes, tuas pecunias, tuum aurum, tuum argentum, tua prædia, tuos agros, tuas villas. Omnia isthæc tua sint, omnia possideto, una tamen suis cum curis, & oneribus. Tu multum habens, semper plura concupiscas, ego parum habens, semper minus cupiam, denique*

*Sit mihi quod nunc est, etiam minus, ut mihi vivam*

*Quod superest ævi, si quid superesse DEVS vult.*

*Itaque dum sic erimus, nunquam aut te divitem, aut me pauperem appellabo. Sed si verum illud est, ut esse puto verissimum,*

*Non est dives opum dives, nec pauper inopsq̃*

*Infelix, alio nec magis alter eget:*

*Dives eget gemmis, Cereali munere pauper:*

*Sic quum egeant ambo, pauper egens minus est:*

*Si verum, inquam hoc est, me dicam merito, & iure divitem & felicem, te autem inopem, & miserum, Abundes licet bonis istis tuis, quæ ab omnibus sapientibus & bonis mala verius censentur, abundabo interim ego*

M

otio,

otio, & animi tranquillitate, qua tu, infelix prorsus  
 cares. Tu vives semper mœstus, & tristis, lætus ego  
 semper & hilaris. Esto tu sollicitus usq; securus ego.  
 Examinent te illa nostri Dei verba, Certè dico vobis,  
 dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum  
 dico vobis, Facilius est camelum per foramen acus  
 transire, quàm divitem ingredi in Dei regnum, Tum &  
 illa, vœ vobis divitibus, quia habetis consolationem  
 vestram. Me verò illa mutuò recreabunt, Beati pau-  
 peres, quia vestrum est regnum Dei. O ingentem pro-  
 missionem, ecquem non excitet oscitantem, iacentem  
 non erigat, labantem non confirmet, infirmum non ro-  
 boret, depressum non extollat: ista, ista mihi satis su-  
 perq; sunt, cætera cuncta & negligo, & adspernor. Se-  
 curus ego de meis bonis sum, quæ mihi sunt parata,  
 sicuti tu de tuis, quæ te manent, supplicijs. Vestem  
 tu interea splendidam, istam tuam purpuram, præcla-  
 ram istam tuam byssum iacta, epulare quotidie lautè,  
 opiparè, magnificè: At peracta iam fabula, tuo maxi-  
 mo senties malo, quantò mea vilis laceraq; tunica, tuis  
 pretiosis vestibus fuerit nobilior, quantoq; mea pau-  
 pertas copia tua largissima beatior. Tu quum rece-  
 peris bona nunc hic multa, ut postea illic multa susti-  
 neas mala necesse est: me verò quem tot mala urse-  
 runt, paria, imo multò maiora reficient solatia. In-  
 cole tu, miser, tuos inferos, quos tu summo studio,  
 magnaq; adquisivisti industria, ego felicissimè re-  
 gnabo in Abrahami sinu, quem merui sola fide in  
 Christum unicum nostrum mediatorem.

Quod

85.

**IX.** Quod nullo fieri modo possit, ut quis  
hic gaudeat & in coelis.

Omnia rerum esse vicissitudinem, pleno omnes ore clamant, & confitentur: Proinde quid mirum, si, qui hic effuse gavisi sunt, omnibusq; abundarunt divitijs, & delicijs, illic plorent, ac bonorum sentiant omnium indigentiam? Hoc humano constitutum est ordine, qui fallax, iniustusq; solet esse, poteritne divino deficere ordine, qui semper est ut verissimus, ita quoq; iustissimus? Omnibus tempus praefinitum est. Tempus occidendi & tempus medendi, tempus demolien- di, & tempus aedificandi. Tempus lacrimandi, & tem- pus ridendi, tempus lugendi, & tempus saltandi, tempus quaerendi, & tempus perdendi. Itaq; quum tempus ridendi iam transactum sit, ut flendi tempus succedat necesse est. Aliter enim si fieret, turbarentur omnia, nec DEVS dici posset iustus. Nam quum in- numerabiles hic impij, scelestiq; feliciter vixerint, & triumphaverint, innumerabiles contra pij probiq;, mi- serabiliter fuerint afflicti, & vexati: inconveniens ap- primẽ esset divinae iustitiae, ut alia in vita utrisq; iuxta eorum merita non distribueret. Miseris igitur illis, & perditis tanquam pater clementissimus brevia haec concedit, ne & ipsi expertes sint divinae benignitatis & clementiae, non aliter ac Medici solent, qui quum desperatos vident aegrotos, eis quidquid expetunt, per- mittunt exhiberi, quod nequaquam ijs concedunt, quorum certa est spes convalescendi. Vtrisque tamen brevis datus est terminus hic, quum illic postea erit in- finitus. Improbi enim caduca ista utenda, fruenda pa-

rum cum gustaverint, perpetuo supplicijs exponen-  
 tur: At pii, rectiq; modice miseris, calamitatibusq; op-  
 pressi, bonis laticijsq; perfruentur sempiternis. V-  
 trumvis igitur eligant oportebit, aut hic non diu pati,  
 ut illic semper triumphent: aut hic exultare brevi, af-  
 fidue postea illic defleturi. Quod si quis fidem verbis  
 nostris non prestat, is & qua Abrahamus diviti illi  
 dicat, attendat, Fili, recordare quod receperis bona in  
 vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic  
 solatio fruitur, tu vero cruciaris. Eadem & omnium  
 nostrorum redemptor, dicit inquit. Veruntamen  
 va vobis divitibus, quia habetis consolationem ve-  
 stram: Va vobis qui saturati estis, quia esurietis. Va  
 vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Va  
 vobis quum laudaverint vos omnes homines. Itaque  
 ne nos decipiamus, dum fruente huius vite bonis,  
 speramus & alterius quoq; fruituros, quod nec ipsi  
 Dei filio Christo contigit: Cuius quidem vitam si at-  
 tente considerabimus, quid ea durius, quid tristius,  
 quid amarius? Eamus nunc nos belli homines, &  
 somniamus hic quietem, & illic etiam, id est, consti-  
 tuamus nos supra ipsum DEVM, quando nec ipse  
 DEVS habere id potuit. Quare his, quos dixi mo-  
 do, & alijs non paucis motus rationibus, timeo etiam  
 valde, ne hi, qui hic suaviter, tranquillèq; vivunt, pa-  
 rum Deo sint grati, atq; ne illis multum de futura spe-  
 randum sit tranquillitate. His enim quos Deus amat,  
 non nisi acerba, & dura promittit, paupertatem scili-  
 cet, ærumnas, carceres, supplicia & cruce, necesq;  
 crudelissimas: quemadmodum & suo filio, & eius di-  
 scipulis omnibus, cæterisq; pijs evenisse perspicimus.

Per

Per multas enim afflictiones oportet nos intrare in Dei regnum, non afflictionem dixit, Sed afflictiones, neque hoc contentus, addidit multas. Tum & illud, oportet, quo luculenter indicat necessario nobis subeundū prælium. Quapropter ut de felicibus dicebam, non bene me de futura eorum sperare salute: Sic & de his, qui miserè, infeliciterque vivunt, non male præfagit animus. Quum enim id accidisse sciamus & capiti ipsi nostro, & cæteris eius membris, quumque certa, firmaque extet promissio, qui poterit deficere? Modò ne despondeamus animum, modò ne in pugna ignavi, desidesque deficiamus, vertamusque terga. Sed animum colligentes, oculosque, & spem omnem nostram ad illam, quam inquirimus beatam dirigamus patriam, adversarios nostros fortiter oppugnemus, contundamusque, illud in primis nobis præponentes, Quod nisi legitime certaverimus minimè coronabimur.

X. Quod via virtutis sit facilis & suavis,  
 contra verò vitiorum via difficilis  
 & insuavis.

Non solum obscuro quidam homines, & ignari, verum etiam præclari viri & docti, quique communi iudicio sapientes iudicantur, atque ex his cum Latini nostri, tum Græci uno ore constanter adfirmare non dubitant, ipsius virtutis viam, admodum esse inviam & amaram, cum è diverso vitiorum via valde multum obvia sit & suavis. Atque in medio statuunt exemplum, quendam Herculem, qui quidem in prima sua adolescentia, ostensa sibi utraque via, maluit, relicta illa plana, &

na, & amœna, potius arduam & laboriosam multipli-  
 cibusq; periculis & monstris refertam sequi: Etsi illi-  
 ipsi vel inviti cogantur concedere fructum, id est, fi-  
 nem ipsum fore suavem, esseq; nos capturos dulcem  
 fructum radicis amaræ. De fructu igitur, id est, de fi-  
 ne nulla mihi cum illis est controversia, cum utrique  
 mutuò consentiamus, idemq; sentientes fateamur. Sed  
 cur radicem ipsam adeò amaram arbitrentur, id est, de  
 vitæ curriculo, licet multum excogitaverim, causam  
 tamen invenire potui nullam. Nisi fortasse illa causa  
 sit, quam pius ille vir dicit, longam scilicet peccandi  
 consuetudinem insuavem nobis fecisse virtutis viam.  
 Quin etiam ipsi profani aiunt, nullam esse tam faci-  
 lem rem, quin difficilis sit quum invitus facias. Equi-  
 dem poteram breviter me hinc expedire, litemq; hanc  
 dirimere, vel unico munitus testimonio, non hominis  
 quantumvis sapientissimi: Verum autoritate &  
 sententia ipsius nostri Magistri sententiarum, qui qui-  
 dem solus est & vera Dei sapientia, & vera Dei vir-  
 tus, & verus quoque Deus. Ipse enim dilucidè cla-  
 mat, jugum, inquiens, meum suave est, & onus meum  
 leve. Eius autem discipulus non minus apertè clami-  
 tat, mandata Christi non esse gravia. Non igitur quia  
 gravia sunt non audemus, sed quia non audemus, ideo  
 gravia sunt. Verum cum mihi agendum sit in re adeò  
 implicita, & ab omnibus contrario modo iudicata &  
 abdita, cogor pinguiori Minerva agere, ita ut vel ru-  
 des manibus palpitare valeant. Plato certè quem  
 divinum vocant, teste Cicerone, adserit virtutem  
 ipsam si corporis oculis inspicere posset, mirificas ex-  
 citare



citare posse voluptates, innumerabilesq; invenire sui-  
 ipsius amatores. Quæso, an si aded esset amara, hoc  
 potuisset efficere? Sed accedamus ad rem propius, &  
 percurramus utriusque viæ sectatorum, vitam & mo-  
 res, non omnium quidem, esset enim prope infini-  
 tum, sed aliquorum, atque ipsos postea inter se com-  
 paremus, & ita res erit manifestior. Incipiamus igitur  
 à vita voluptariorum, inprimisq; amentium haud  
 amantium, quos vulgus lætos esse autumat & feli-  
 ces. Horum vitam si singulatim exponere vellem,  
 immensi esset laboris & temporis, tamen tangam ali-  
 quid. Hi primùm pingunt suum DEVM Cupidi-  
 nem esse cœcum, scilicet insano nemo in amore vi-  
 det. Audi igitur quid unus eorum antistes & Ma-  
 gister dicat,

*Quod iuvat exiguum est, plus est quod ledit amantes,*

*Proponant animo multa dolenda suo.*

*Quot lepores in Atho, quot apes nascuntur in Hybla,*

*Cœrula quot baccas Pallados arbor habet:*

*Littore quot conchæ, tot sunt in amore dolores,*

*Quæ patimur multo spicula felle madent. Audisti-  
 ne læticiam & felicitatem? sed dices fortasse unus est  
 hic tantummodò. Audi & alium.*

*Non tot Achemenijs armantur Susa sagittis,*

*Spicula, quot nostro pectore fixit amor.*

*Audi etiam alia.*

*Nox media, & dominæ mihi venit epistola nostræ,*

*Tybure me missa iussit adesse mora:*

*Candida*

Candida quæ geminas ostendunt culmina turre,  
 Et cadit in patulos lymphæ Aniena lacus.  
 Quid faciam? obduclis committam mēne tenebris?  
 Ut timeam audaces in mea membra manus.  
 At si hæc distulero nostro mandata timore,  
 Nocturno fletus sævior hoste mihi.  
 Peccāram semel, & totum sum pulsus in annum,  
 In me mansuetas non habet illa manus. Audi-  
 stinē terribile scorti imperium? Sed quis huiusmodi  
 istius nānias percurrat? Veniamus ad alium, & vi-  
 deamus quid dicat.

Vera quidem moneo, sed profunt quid mihi vera?  
 Illius est nobis lege colendus amor.

Quin etiam sedes iubeas si vendere a vitas,  
 Ite sub imperium sub titulumq; lares.

Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,  
 Quidquid & herbarum Tessala terra gerit.

Si modò me placido videat Nemesis mea vultu,  
 Mille alias herbas misceat illa bibam.

Fateor horum ineptiæ me faciunt ineptire. Atque  
 hæc utemq; possunt tolerabilia existimari: adfera-  
 mus adhuc graviora.

Hic se precipitem recto dedit, ille flagellis

Ad mortem cæsus, fugiens hic decidit acrem

Prædonum in turbam, dedit hic pro corpore nummos,

Hunc perminxerunt calones.

Discincta tunica fugiendum est ac pede nudo,

Ne nummi pereant aut pyga, aut deniq; fama.

*Ibis sub furcam prudens, dominoq; furenti*

*Committes rem omnem, & vitam cum corpore famam.*

Hæc monstra Hercules ille non vidit in illa voluptatis via, fortasse cogitabat ad aliquam Omphalem. Ut paucis rem concludam, quando diutius in his memoratum esse sentio, in istis nihil aliud invenies, nisi labores, impendia, damna, iacturas, querelas, lamenta, iurgia, suspiria, vigiliæ, fletus, lachrymas, dolores, flammæ, ignes, incendia, cædesq; deniq; tum ab alijs sibi illatas, quod fit frequentius, tum ab ipsismet, quod interdum solet accidere. Huius generis suavitates & facilitates si quis esse dicat, ego optarem tales hostibus magis, quàm amicis. Nunc transeamus ad istos oppositos id est pudicos & castos. In his certè nihil huiusmodi reperire poteris, sed contraria prorsus omnia, summam videlicet quietem, placidam tranquillitatem, fidam securitatem, iugem læticiam, quietum somnum, honestum otium, modestum risum, nisi quatenus illorum stultitia eos, tanquam alteros effectos Heraclitos plorare impellat. Quando autem illi laborant, isti quiescunt, quando illi vigilant, isti dormiunt, quando illi immensas pecunias profundunt, isti augent rem familiarem, quando illi lamentantur, isti cantant. Sed ne diutius in his, quemadmodum cum illis feci, pervager, è diverso omnia omnino offendes. Hæc autem insuavia iudicare & difficilia nullus poterit nisi mente captus, & perversissimi iudicij erit qui faciat. Veniamus nunc ad aſotos & hos, qui ventri dediti sunt & Baccho, quorum animus semper est in patinis, qui nihil aliud cogitant, nihil som-

N

niant,

niant, nisi edere & bibere. Qui quidem vino somnoq; sepulti, nunquam solem exorientem inspexerunt, occidentem verò rarissimè. Hosce ego interrogabo, etiam si maximam voluptatem in edendo percipiant, cum citò transierit (gula enim adeò brevis est ita, ut ab ore in ventrem vix palmum distet) quomodò poterunt in hoc delectari? Imo si collum haberent gruis, quemadmodum ille optabat, tamen brevis esset illa delectatio, oporteretq; semper absorbere. Hic prætereo innumera incommoda, quæ ex diversis cibis succedunt.

*Nam variæ res*

*Vt noceant homini credas, memor illius escæ?  
Quæ simplex olim tibi sederit, ac simul assis  
Miscueris elixa, simul conchilia turdis,  
Dulcia se in bilem vertent, stomachoq; tumultum  
Lenta feret pituita: vides ut pallidus omnis  
Cæna desurgat dubia? quin corpus onustum  
Hesternis vitijs animum quoq; prægravat una,  
Atq; adfigit humo divinæ particulam auræ.*

Mitto capitis gravedinem, oculos lippientes, manus tremulas, assiduam cruditatem, innumeraq; alia incommoda. Sed quid dicam de illa perpetua socia podagra, suis cum infinitis cruciatibus, ita ut optare faciat mortem, cum tamen mors ab huiusmodi non multū soleat distare, nā brevi solent isti vivere omnes. Hæc atque pleraq; alia omnia, quæ enumerare prolixum esset, habentur ex crapula. Contrarium omnino evenit sobrijs, frugaliq; victu contentis. Prospera  
enim

93.  
enim utuntur valetudine, morbis rarissimè infestantur,  
membra semper sunt valida, oculi acutissimi. Hi ubi  
dicto citius curata sopori

*Membra dederūt, vegeti præscripta ad munia surgunt.*  
Ut taceam de vitæ longitudine, si hæc inter bona sit  
ponenda. Expectas fortasse ut tibi dicam de facinoro-  
sis, sicarijs, furibus, latronibus, maleficis, atq; eius ge-  
neris alijs: Hos quidem inter vivos nunquam repo-  
nam, cum verè mortui sint existimandi: Hos probe  
tibi describit Satyricus, verbis sequentibus.

*Nocte brevem si fortè indulset cura soporem,  
Et toto versata toro iam membra quiescunt,  
Continuò templum, & violati numinis ara,  
Et quod præcipuis mentem sudoribus urget,  
Te videt in somnis, tua sacra, & maior imago  
Humana turbat pavidum, cogitq; fateri.  
Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,  
Cum tonat, exanimes primo quoq; murmure cæli  
Non quasi fortuito, nec ventorum rabie, sed  
Iratu cadat in terras & vindicet ignis.  
Illa nihil nocuit, cura graviore timetur  
Proxima tempestas, velut hoc dilata sereno.  
Præterea lateris vigili cum febre dolorem,  
Hi se sæpe pati missum ad sua corpora morbum  
Infesto credunt à numine, saxa Deorum  
Hæc & tela putant pecudem spondere sacello  
Balantem, & laribus cristam promittere galli  
Non audent. Et quæ sequuntur.*

N 2

Parte

Parte ex altera quicumq; integer vitæ scelerisq; purus fuerit, siue facturus sit iter per æstuosas Syrtes, siue per inhospitalem Caucasum, non egebit unquam iaculis Mauri, neque pharetra venenatis sagittis grvida, satis superq; tutus & munitus suæ præsidio innocentis conscientiæ. Habent enim aheneum murum, scilicet

*Nil conscire sibi nulla pallefcere culpa.*

Ita ex dictis iam supra ipsa luce clarius patere potuit, vitiorum viam non solum esse difficilem & insuavem, sed etiam felle quolibet amariorem, miseram prorsus & infelicem: E diverso autem virtutis viam non solum facilem & planam esse, verum omni melle dulciorem, felicem & beatam deniq;. Quamobrem desinamus deinceps errare & hallucinari, quemadmodum hætenus fecimus, imponamus ipsis rebus cognata vocabula, ut planè nomen, ut jurisconsulti aiunt, rei sit conveniens, neque appellemus Æthiopem album, & pusillum aliquem gigantem, ne nobis eveniat comminatio illa, quam sacer vates dicit. Væ vobis qui dicitis bonum malum, & malum bonum, & lucem tenebras, & tenebras lucem.



IOANNES BERNARDINVS  
BONIEACIVS  
ÆTATIS SVÆ. L. ANNO. MDLXVII  
.O.T.E.S.



*Destruat effigiem mox, ut solet omnia, tempus,  
Immortalem animam destruere haud poterit.*

# INDEX PRÆCIPUARVM RERVM

quæ in hoc libello continentur.

Oratio continens vitam & mortem Dn. Bernhardini Bonifacij. Pag. 1. & sequentibus.	Mortem iam esse proximam. pag. 52.
Hymnus in sanctum Christi nata- lem. 25.	Ad DEVM Opt. Max. 53.
In sanctam Christi circumcisio- nem. 26.	Terrenis spretis coelestia sequens da. 54.
In Epiphaniam. 28.	Quod DEVS ab innumeris per- riculis ipsum eripuit. ibid.
In passionem Christi. 29.	Testamentum. 55.
In festum diem quo Christus à mortuis est excitatus. 31.	Optat mori. 56.
In festum diem quo Christus in coelum ascendit. 33.	Epigramma ad Franciscum Betz- tum. 57.
In diem Pentecostes. 34.	De conditione hominum piorum. (59.
Ad DEVM Opt. Max. 36.	De contemptu literarum. 60.
Deliberat quale sequi debeat vi- tæ institutum. 39.	De eo quid pecunia possit. ibid.
Vanitas vanitatum & omnia vani- tas. 40.	De commodis egestatis suæ. ibid.
Ad DEVM Opt. Max. 41.	In commendationem Ciceronis. (ibidem.
Ad DEVM Patrem 43.	In commendationem Aristotelis. (61.
Vitam nostram esse miserrimam. 44.	De sex rebus inconstantibus. ibid.
Ad DEVM Opt. Max. 45.	Quales sibi exequias fieri cupiat. (62.
Ad DEVM in angustijs. 46.	In effigiem suam. ibid.
Ad seipsum ut respiciat. Ibid.	Epitaphium quod ipse de se com- posuit. ibid.
Confitetur se non obtemperasse DEO. ibidem.	Aliud græcum de illo ipso. ibid.
Non moveri se huius mundi re- bus. 47.	Idem illud fusiùs latinè fact. ibid.
Nisi adsit ratio homo est inferior cæteris animalibus. ibid.	1. Paradoxum quod nemo lædas datur nisi à se ipso. 64.
Ad Christum servatorem. 49.	2. Quod homo à nemine maiora accipiat damna quam à seipso. (66.
Incipit iam senescere. ibid.	3. Quod <u>neminem magis quis</u> quam
Sola nititur Dei misericordia. 51.	
Mortem	



- |  |   |
|--|---|
| quam odisse debeat quam se<br>ipsum. 68.                                     | trā ignominia vera gloria. 77.  |
| 4. Quod ab inimicis multum uti-<br>litas nihil accipiamus incom-<br>modi. 70 | 8. Quod divites sint pauperes,<br>contrā pauperes divites. 81.  |
| 5. Quod amicitia huius mundi,<br>inimicitia sit Dei 72.                      | 9. Quod nullo modo fieri possit,<br>ut quis hic gaudeat & in cœ-<br>lis. 85.                          |
| 6. Quod sapientia huius mundi<br>stultitia sit apud Deum. 75.                | 10. Quod via virtutis sit facilis &<br>suavis, contrā verò vitiorum<br>via difficilis & insuavis. 87. |
| 7. Quod gloria sit ignominia, cō-  |   |

### Errata typographica sic corrige.

Pag.	Versu.	Lege.	Pag.	Versu.	Lege.
1.	7.	Parthenope,	41.	21.	dedisti.
9.	11.	tumultus.	51.	19.	namq̄.
Ibidem.	17.	Sleidano.	52.	28.	peccato.
13.	27.	temperātor.	60.	29.	boniq̄.
21.	25.	quereretur.	62.	7.	ignotum.
23.	7.	porrigere.	76.	16.	sophismatisq̄.
31.	10.	CHRISTI.	Ibidem.	17.	caliginem.
32.	26. & 27.	sacra cantica.	77.	penult.	ut.
33.	9.	altum.	87.	16.	proponentes.

Reliqua benevolus lector pro suo candore  
ipse corriget.

27. via difficultatis & involuta  
 28. via difficultatis & involuta  
 29. via difficultatis & involuta  
 30. via difficultatis & involuta  
 31. via difficultatis & involuta  
 32. via difficultatis & involuta  
 33. via difficultatis & involuta  
 34. via difficultatis & involuta  
 35. via difficultatis & involuta  
 36. via difficultatis & involuta  
 37. via difficultatis & involuta  
 38. via difficultatis & involuta  
 39. via difficultatis & involuta  
 40. via difficultatis & involuta  
 41. via difficultatis & involuta  
 42. via difficultatis & involuta  
 43. via difficultatis & involuta  
 44. via difficultatis & involuta  
 45. via difficultatis & involuta  
 46. via difficultatis & involuta  
 47. via difficultatis & involuta  
 48. via difficultatis & involuta  
 49. via difficultatis & involuta  
 50. via difficultatis & involuta

1. via difficultatis & involuta  
 2. via difficultatis & involuta  
 3. via difficultatis & involuta  
 4. via difficultatis & involuta  
 5. via difficultatis & involuta  
 6. via difficultatis & involuta  
 7. via difficultatis & involuta  
 8. via difficultatis & involuta  
 9. via difficultatis & involuta  
 10. via difficultatis & involuta  
 11. via difficultatis & involuta  
 12. via difficultatis & involuta  
 13. via difficultatis & involuta  
 14. via difficultatis & involuta  
 15. via difficultatis & involuta  
 16. via difficultatis & involuta  
 17. via difficultatis & involuta  
 18. via difficultatis & involuta  
 19. via difficultatis & involuta  
 20. via difficultatis & involuta  
 21. via difficultatis & involuta  
 22. via difficultatis & involuta  
 23. via difficultatis & involuta  
 24. via difficultatis & involuta  
 25. via difficultatis & involuta  
 26. via difficultatis & involuta  
 27. via difficultatis & involuta  
 28. via difficultatis & involuta  
 29. via difficultatis & involuta  
 30. via difficultatis & involuta  
 31. via difficultatis & involuta  
 32. via difficultatis & involuta  
 33. via difficultatis & involuta  
 34. via difficultatis & involuta  
 35. via difficultatis & involuta  
 36. via difficultatis & involuta  
 37. via difficultatis & involuta  
 38. via difficultatis & involuta  
 39. via difficultatis & involuta  
 40. via difficultatis & involuta  
 41. via difficultatis & involuta  
 42. via difficultatis & involuta  
 43. via difficultatis & involuta  
 44. via difficultatis & involuta  
 45. via difficultatis & involuta  
 46. via difficultatis & involuta  
 47. via difficultatis & involuta  
 48. via difficultatis & involuta  
 49. via difficultatis & involuta  
 50. via difficultatis & involuta

Index typographicus de corrigee

Page	Page	Page	Page
1	2	3	4
5	6	7	8
9	10	11	12
13	14	15	16
17	18	19	20
21	22	23	24
25	26	27	28
29	30	31	32
33	34	35	36
37	38	39	40
41	42	43	44
45	46	47	48
49	50	51	52
53	54	55	56
57	58	59	60
61	62	63	64
65	66	67	68
69	70	71	72
73	74	75	76
77	78	79	80
81	82	83	84
85	86	87	88
89	90	91	92
93	94	95	96
97	98	99	100

Index typographicus de corrigee  
 Index typographicus de corrigee



Fc 1253

ULB Halle 3  
001 852 930





sb.

MC

VO 17








iv

Cl 1625  
3

MISCELLANEA  
HYMNORVM,  
EPIGRAMMATVM, ET  
PARADOXORVM QVORVN-  
DAM, D. IOHANNIS BERN-  
HARDINI BONIFACII  
Neapolitani.

*Quibus prater dedicationem premissa est brevis  
de ejusdem vita & morte narratio.*



DANTISCI, *Alfonso de  
marchese  
Carpis f. f. f.*  
Imprimebat Iacobus Rhodus.

ANNO. M. D. XCIX.